
EDICTA SEV


DECRETA VETERVM


Imperatorum ac Iuriſconſul. in Tit. de Pactis. ff. & C. nunc primùm in artem digeſta

PETRO CORVESIO AVTORE,

Ad illuſtrem Franciæ Vicecancellarium Dn. Ioannem Bertrandum.







LVGDVNI,
Apud Ioan. Tornæſium, & Gul. Gazeium.
M. D. LII.

CAPITA EORVM QVAE hoc titulo de pactis continentur, sunt.

Quid sit pactum.

Qualiter inter absentes, & qualiter inter praesentes componantur.

In quod subiectum concipiantur pactorum praestationes.

In quibus factis seu negotijs constituantur.


Quo iure sint introducta, & in quot species.

Quae pacta valida & quae inualida sint, seu super quibus pacisci vel non pacisci liceat.

Num singuli vt pro seipsis, sic & ad commoda vel incommoda aliorum valeant indifferenter pacisci.

Postremo quae pacta actiones, & quae exceptiones ipsis paciscentibus pariant.

ILLVSTRI AC SINGVLARIS PRVDENTIAE viro, Dn. Ioanni Bertrando, Galliarum Vicecancellario dignissimo, Petrus Coruesius S. D.



T SVNT *conatus & operationes hominum, gradibus aliquot dissimiles in vniuersum, Iuris praefecte praestantissime, sic, vt in omni opere, non omnibus ad vnum terminum conueniat, sed in singulis, alij alijs nobiliores & ignobiliores sint, munus nostrum perfectius & imperfectius obeamus quilibet. Ita & quò discernantur valida ab inualidis, Reipublicae vniuersae vtilia ab inutilibus, non mediocri egere iudicio, à summae eruditionis viris existimatum est: prout*

nec contemnendam aut leuem requirere hæc animaduersionem, ex ipso negotio & facti executione indicant sese. Quò fit, vt cùm circa has, & similes contemplationes aßiduo studio intendant, ac implicent se, doctorum hominum ingenia, propter fœcundam frugem, & non pœnitendos prouentus, qui inde ad commune omnium & singulorum emolumentũ producturi sunt: non perperam me facturum putaui, si & mei muneris in hac parte, consideratione habita, & vestræ & dignitatis & autoritatis ratione pensata, sic me me vobis contemplandum exhiberem, in hoc opere quod præsento, vt pro summa vestra sapientia iudicando, postulantis ipse partes sustinerem. Speculatus siquidem aliquandiu, ingenuas & celebres animi vestri dotes, scientiam ac cognitionem rerum variam, insignem & eminentem in Iuris prudẽtia versationem, res tam præclarè gestas, legationes multi-

plici,

plici, Regnante etiamdum Francisco splendidissimo Gallorum Rege, ac apud exteros, & domi (ne singula particulatim cùm omnibus sint nota, in longum catalogum recenseam) in administratione Magistratuum diuersa, & quòd tandem vltrà priuata huius amplissimi regni consilia, & maximi momenti deliberationes, te etiam prudentia & sapientia, ad maximum omnium in hac celebri regione munerum (quatenus ad ciuilem curam spectat) deduxerit, in quo de rebus omnibus ad vniuersam hanc Rempublicam pertinentibus, velut Apollo aliquis consularis, dans operam insuper ne quid contra ius & legum decreta ab aliquo aut attentetur aut fiat: tanquam cui summa iusti & iniusti, æqui & iniqui cōmissa & credita sit. cura certè & animaduersio, tantis virtutibus conueniens & non indigna. Quæ quidem vt non possunt nisi specimen præstantioris cuius-

dam animi, & magnanimi ingenij ac rari præ se ferre, sic & percepta, publicanda sese exhibent magis, quàm vt silentio & velut inanimaduersa prætereantur tacitè: quò vel hoc nomine & superstitibus & posteritati in exemplum, & ad imitationem valeant, sint proposita. Ad hæc igitur, cùm pro præscripto vsu, ac diuturna à patribus nostris, & in consuetudinem ducta obseruatione, sit receptum, in publicandis his quæ singuli ad frugem eruditionis aliquam ad suos cuiusque professionis studiosos emittimus, receptum inquam & obseruatum, vt velut in Mecenates ac patronos, suis titulis quisque deligat, & adiungat aliquos, quò sic res procedat pro communi more venustius, & suo quasi protectore munita prodeat paulò tutius in publicum, tam celebribus & eximijs vestri nominis titulis adductus, non potui non eò vsque progredi, vt laborum nostrorum industrias, quales qua-

les sint, eidem consecrarem. Cùm verò hoc tempore, propter tam innumera aliorum post alios in iuris sciẽtia volumina, & tam crebras repetitiones eorum quæ ab alijs iam sæpius & plus satis inculcata sunt; quælibet noua editio satietatem & fastidium verius præ se ferre videatur, quàm ex commodo vel fruge voluptatem, & sui desiderium augere. Sintq; & tali inquisitioni pacta hæc, quæ vltrò ipse offero exposita, breui velut præfatione, causam meam ab huiusce obiectionibus sic tueor. Quòd longo studio & meditatione assidua versatus, circa percipiendi & tractandi res modos & formas varias, vbi comperij præstantiorem viam & methodum tutiorem esse, sic disponere leges singulas ad materiam, vt hæc ipsa secundùm rectum suum ordinem, ad omnem occasionem & necessitatem pateret, futurumq; sic, vt facilior & intelligibilior multò ad suas rationes cuiuslibet rei

seu tituli, scientia quæuis redderetur, ac minori animi negotio & molestia percipi posse, tale institutum demum, post multiplex & varium experimentum secutus, communicare tandem sic disposita in publicum, concilium fuit, periculum facturus, num ita cæteris, sicut & mihi pro veritate, & ex re ipsa videretur. Tu igitur in non vulgari hoc discrimine singulis adinuicem collatis, pro eminentiori tuo munere, prudentia & potentia dijudica, num digna sint satis, vt sic emissa, retineantur, & hoc ordine procedatur ad reliqua, vel cancellanda potius & forma seu traditione alia variandum adhuc, quò tandem negotium omne bene cedat tuo ductu, ad fœlicem & fortunatum huius tui regiminis in hac parte statum. bene vale Vir illustris: & quod bona fide ac puro animo tibi exhibemus, æqui boniq; consule. Lugd. Cal. Ianu. Anno quinquagesimo secundo suprà sexqui millesimum.

PROOEMIVM.



I ex fine muneris ſeu artificij cuiuſlibet, metienda & æſtimanda eſt vis ac effectus, artificis ipſius: vtpote qui, & quatenus ad eundem valeant vel non valeant, quid præſtent vel non præſtẽt ſinguli, quatenus accedat propoſito ſuo in vnaquaq; ſcopo, hic aut ille, & quatenus diſtent alij vel longè abſint ab eodem, exemplo patenti & manifeſto à ſagittarijs, in animum noſtrum, & noſtram notitiam induci poteſt: quando quidem ſigno ad iaculandum in communi propoſito, ad omnium quotquot iaculantur commune vel exercitium vel periculum, non obſcurum eſt nec ambiguum diſ-

cernere, qui in ſigno & qui iuxta ſignum, & qui in proximo vel longo interuallo remotiores ac extra omnẽ peritiam, omnem frugem & extra omnem cognitionem artis in iaculandi peritia ſunt. Quòd ſi obmiſsis his & alijs, quæ ad ſimile exemplum trahi poſſent (cùm alterius ſint ſpeculationis, & extra noſtræ conſtitutionis fines) contemplandam ſolam in medium proponamus, ac æſtimandam ex ſuo fine vel ſcopo quomodouis, nõſtram in ſcribendi munere profeſsionem, ſtudium & artificium, idq; ſiue ſcribere ſeu tractare vel dictare dicatur, aut aliter quomodouis pro arbitrio, commentari interpretare & cætera non retulerit, cùm ad vnum & non longè diſsimile ſignificatum tendant prædicta, ferè ſingula: cui quidem num alius ſit cõſtitutus finis vel

ſcopus,

ſcopus,quàm ad docendum ſeu ad inſtructionem & doctrinā illorum quibus hæc ipſa peruenerint, non ſatis compertum habeo,prout experimentum patens eſt,& res ipſa de ſe loquitur. Lectio enim & ſtudia aſsidua, ad ingenium & intellectum hominum ſtudentium relata, niſi intelligentiam & cognitionem ſeu eruditionem & doctrinam rerum quæ leguntur vel audiuntur exhibeant, nemo non inſipida ac vana & nullius momenti futura eſſe dixerit:hocq; tam euidens eſt & demonſtrabile,vt negari à quoquā citra impudentiam & manifeſtam calumniam debeat. Docere ergo ipſum in vniuerſum, vt eſt multiplex, ſecundùm doctrinæ & ſcientiæ varia genera,& varias ſpecies,obtinet attamen particulare id & proprium, vt in ſingulis generibus, & in ſingulis inſtru-

ctionis ſpeciebus, habeat ſubiectum aliquod, vel ſubſtantiam ſeu materiam, circa quæ modus & forma docendi vel inſtructio verſetur, aut alioqui fatendum eſſet, citra controuerſiam, docere ipſum nihil aliud eſſe quàm proloqui, ſimpliciter & nudè abſq; ſignificato & ſucco aliquo, quaſi tuba aut ſonus indifferens, citra certam expreſsionem & vocalitatem aliquam. Quòd ſi prout res exiſtit, & pro veritate facti, ad hoc tantum vel præcipuè in vſu eſſe verba, colloquia & ſermones non negemus, vt his viciſſim & mutuò noſtros affectus qui ex rebus aut qualitatibus ſunt, vel circa res aut qualitates communicemus, neceſſarium erit fateri, vbi demonſtratum etiam fuerit, res & eorum qualitates vel accidentia ſi mauis, ſeu ſubiectum & materiam, non ſibi & per

omnia

omnia ſimilia eſſe, nec perpetua & vnica æqualitate continua, neceſſe inquam ſi integrè &, vt conuenit, deducenda ad notitiam ſunt, vt tot gradibus, & diſsimilitudinibus etiam totidem variet oratio, quot & res & eorum accidentia variabunt, ita vt principio aliquo in ſubiecto de quo diſſerendum eſt cõſtituto, ab hoc demum ad media, & vſq; ad fines per omnia & vbique procedat ratiocinatio: vſq; dum verbis licet & omni colloquio finito, & ſono orationis ſublato, maneat attamen in mente, ipſius reſide qua prælocutum eſt ſeu tractatum effigies, & viſibilis in intellectu notitia: non autem econtra, vt concentu & ſono ſimplici ſermonis ſeu verborum retento, res ipſæ extra omnem recordationem ſequeſtrentur, euaneſcant: tali igitur erecto ad propoſitum certamen,

tamen, & ad noſtram iaculationem ſcopo, expendamus ac metiamur ex re conſpicua iam & apparenti, quæ nobis ad oculum diſcernenda & æſtimanda ſe exhibent in hoc militiæ vel ſtudij genere, tam numeroſorum, & veteranorum & recentiorum ſeu modernorum militum diſcrimina, num videlicet inter cæteros præſtent illi,qui ſic ſuam promulgare ad alimoniam eruditionis doctrinã ſtudent, vt præter vocum infinitarum diſiunctam & diſſolutã congeriem, nihil aliud præſtent ſucci, quod percipi & retineri pro ſolida ac conſtanti animi ſpeculatione poſsit. An verò illi magis qui vt ſeſe æterniſent (res memoranda certè,& quæ ad magnum momentum exiſtimari debeat inter chriſtianæ reipublicæ proceres,ob tam præclara beneficia communibus commodis collata

lata) amplum hinc inde copiosum & prolixum deligunt peculium, ac velut suffarcinatum ex multis partibus, producunt ad sua encomia demum, ita tamen vt per solas & crebras repetitiones, quales sint sese ex suo sermone prodant ac declarent. vtpote cum omnibus ex alieno testimonio proprijs dictis fidem astruant, nihil verò certi ex suo, cùm ambigui sint per omnia ac sibi credi postulent, ex eo duntaxat quòd alij hic vel ille ita tenendum dixerint, quasi à fatali & indubitato oraculo deprompta, à quo non sine graui vniuersæ reipublicæ discrimine recedere liceat. nec expendentes seu significantes interim, quibus fundamentis, quibus rationibus, & quare vno potius quàm alio modo dispositum fuerit, sed sufficere magis ad suos effectus, quia tales vel tales ita dixerint,

qual

qualitercunque cedat, notis vel ignotis principijs & causis producentibus tales successus, causam & occasionem dantes in obscuris sic & cõfusis, prout & notum est, vt ex iniustis iusta fiant & econtra. Omitto digressores cæteros ab vna materia ab vnâ parte vel articulo in alios, per sophisticâ phrasim, ita vt nihil continuum, nihil certum ex eorum traditionibus sumi valeat: prætereo hoc ordine pariter, & elegantiores illos, qui in politie ac ornatu & consonantia verborum, artem omnem suam, ac omne studium collocant, quando signum ad succosas continuas & integras rerum cognitiones per singula eorum elementa, propositum est, in quo qui interius aut circunquaque ad proxima non intendunt saltem, velut ad suam artem inutiles adhuc, nec satis strenui ad talia

expe

experimenta pro illorum vi & condi-
tione non sufficiunt. Vt prædiximus
à quo qui tam longe absunt, quin ve-
lut erronei extra directam sint semi-
tam, obscurum nõ est præuidere. cùm
verò constet per prædicta, esse vias
alias, per quas iam dictæ metæ, proxi-
mius accedi possit (& si non citra o-
mnem mendam vel imperfectionem
perfectissimè, quando diuini id esset
ingenij magis quàm humani) vitio
verti non debet, nec in calumniam
imputari, si quamplurimis hoc expe-
rimentis & conatu multiplici attente-
tur, ea spe vt si vno aut altero opta-
tum integrum assequi non liceat, ad
tertium, quartum & deinceps, res &
negotium totũ, paulò perfectius quàm
sit, renouetur: vbi maximè in confes-
so est apud omnes viros & mulieres
pariter, quòd eò prodierit quicquid

huius facultatis est, vt restaurationem verius, quàm augumentum & vltroneum progressum ad prolixiorem copiam desideret. prout ex tam multis, quanta & quàm certa sit peritia omnium, ac de vno quoque, quisque qui hanc profitetur, de seipso certum iudicium ferre potest, & veridicum experimentum, remotis attamen affectibus sic, vt in partem alteram non sit nimius. Tractari arte possit vel non possit ius, hîc non prosequor, ne vltra suas metas prologus decurrat veritus, Quòd si & ad pacta hæc, restare alia opponant aliqui; quæ cùm sint, vt facta cætera infinita, tractatione hac non sunt comprehensa: ne producam quæstionem etiam ad maiora, mihi satisfactum in his putaui, fœtificatione hac prima & primo partu, si quæ præcipua in his habemus, in eam

form

formam redigerentur quæ esset paulò quàm antea cùm certior tum facilior: quòd an præstiterim hactenus in titulum de testamentis & pactis, solo experimento & iudicio eorum qui de his studiosum periculum fecerint committo: futurum fortè, vbi qui artem hanc vel studium accusant, quæ restant ad prædicta infinita vt volunt, in infinitum etiam catalogum produxerint, vbi ad finitos terminos partita fuerint ac disposita, quòd pari pariter vel non longè dissimili ordine tractentur & illa. Quæ sequentur ad hæc, aliquanto etiam faciliora speramus & policemur, ob diuisionem capitum, quæ non perperam his conuenire visa est. Præfari autem interim hæc libuit, vt meme meis rationibus tuear, ad illas quas mihi suspicor obuenturas calumnias, tum vt hu-

ius profeſsionis ſtudioſos mei conſilij commonefacerem & admonerem pro fœliciori ſucceſſu, intendendum ſemper ad perfectiora. Verùm prologi iam ſatis, accedamus ad pacta.

*

IN TITVLVM DE PACTIS.

*

TRACTATVS AD METHODVM.



NOMINA si sic sunt imposita rebus, vt parte aliqua consonent cum eisdem, aut earum significatum aliquem exprimant, vt plurimum: quando verisimile est inuentores ipsos primos motos ad hæc, eiusmodi occasione vel ansa aliqua, aut alioqui à casu & fortuitò multa imposita esse, existimandum erit: non perperam fiet, neq; absurdum reputabitur, si tractaturi de pactis, exigamus ab hoc nomine in primis, quid ipsum in hoc tractatu innuat, seu quid sua voce, nobis coniecturandum indicet: &, si quidem similitudine vocis, ab ethimologia vocabuli ratiocinandum esset, vt pactum idem constituatur esse quod placitum, citra quoduis discrimen hallucinari fortè extra rem nostra hæc oratio posset. vbi maximè notum est quibusuis, isthæc

ipſa, non paruo interuallo ab inuicem ſeiuncta ac diſtincta eſſe, quando non omne quod placet, id ſtatim pactũ dici debeat. Quòd ſi & paciſcendo placitum duorum plurium'ue interuenire dicatur, prout ab aliquibus pactum ipſum definitum eſt: non tamen & ſi placeat duobus deambulare, currere, colloqui, diſſerere, diſputare de re aliqua, & ſi placeat duobus pluribus'ue, non tamen id pactum eſſe ſtatim argumentandum erit, licet placitum id eſſe non negetur. Si verò omiſsis cæteris ad breuitatem, quæ adduci in hanc ſententiam poſſent, ex effectu ſolo ſeu vſu huius nominis inquiramus, quæ ſit eiuſdem vis & ad quid ſignificandum, introductum fuerit, & ſi quidem placitum iam eſſe conſtat, non tamen ſic, vt omne placitum ſit pactum, de quibus ipſum intelligatur, diſcernere iam operæ pretium fuerit: non aliunde quàm ex effectu vel facto ipſo. videmus etenim (vbi patet factũ aliquod eſſe inter homines, quod pactum appellatur) quoties conuenit hominibus duobus pluribus'ue, vt paciſcantur, ſiue quando res & occaſio poſtulat, vt ipſum componatur, nuſquam fieri hoc, niſi tractatus aliquis ſubſit mutuus, in quo vel commoditas vel neceſsitas aliqua, ad paciſcendum vel ſic componendum ſeu informandum negotiũ parte aliqua inducat: vnicus enim

ſibiipſi nunquam paciſcitur, neq; duo plures'ue niſi occaſionem nanciſcantur ex tractatu vel negotiatione aliqua.& tunc, cùm vtriuſq; voluntas arbitrium & deliberatio accedit ad aliquid, quod in commune tangit,aliquo modo componendum, informandum vel obſeruandum aliter quàm erat prius placito amborum ſeu communi voto, id pactum vel paciſci receptum eſſe dici.quòd ſi conuertatur,idem planè erit. Deriuare pactum à pace, quaſi ex pactis ſeu conuentionibus pax ſequatur, etymologicum pariter id eſt, nec pluribus in eo inſiſto. ſpeculabitur in his quiſque pro arbitrio. quando & in hanc formam alia etiam adiungi poſſent,per quæ tamen vtcunq; vis verbi exprimeretur,velut ſi quis ſimilitudine vocis ad compoſita verba impactus compactus & eiuſmodi procederet,ad maiorem ſeu expreſsiorem huius ſignificati vim: cùm tamen & Vlpiani ſententia de his ſit,vt pactum à pactione dicatur,vnde pacis nomen appellatum ſcribit:finiens pactum etiam,vt ſit duorum plurium'ue in idem placitum & conſenſus.[a] verùm de his æſtimet pro ſuo arbitrio quiſq;.Si verò & paciſcentes conuenire dicamus, quaſi ex diuerſis animi motibus in vnum conſentiant, id eſt in vnam ſententiam decurrant: ceu qui ex diuerſis locis in vnum colliguntur & veniunt,conue-

a Vlpian.lib. 4.ad edict. in l.j.ff.de pact.

nire dicuntur. Conuentionis hoc verbum ita generale erit, vt ad omnia pertineat, de quibus negotij contrahendiq; causa consentiunt, qui inter se agunt: adeò vt eleganter dicat Pædius, nullum esse cōtractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conuentionem, siue re siue verbis fiat: nam & stipulatio quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. vnde & cōuentionum pleræq; in aliud nomen transeunt: veluti in emptionem, in locationem, in pignus, in stipulationem, & similes. [a] Cùm igitur pactum & conuentio consensu & voluntate, seu decreto quodam animi componantur ac fiant, sic volentibus & statuentibus communi voto qui paciscuntur, vt res vel negotium de quo agitur, talem statum, modum, seu formam accipiat, sic prout conuenit obseruetur, ac res cedat: nimirum & si ex compositione huius facti tota æstimāda ac metienda est iuris qualitas ad quælibet. Ad primum ergo, siquidem naturæ ordine necessarium est, vt qui tractare vel componere alioqui mutua sua negotia & suas operationes volunt, tali modo vt à lege pacti componantur, necessarium inquam est, vt ij aut præsentes id faciant, aut medio alio, quod præsentiæ vicem suppleat in absentibus, cùm maximè eorum vsus ad hoc introductus sit, vt pro necessitate varia, vel ad omnem

a Idem ibidē, §.ij.& iij.

omnem occaſionem qui negotia tractant, interponere pro libito pactiones poſsint. Inter abſentes ideo Labeo ait, conuenire vel per epiſtolam, vel per nuncium quoque poſſe: inter præſentes verò re ipſa & nedum expreſſo, ſed etiam tacito conſenſu conuenire ſeu paciſci inter aliquos, aliqua intelligi interdum: ideoq; & ſi debitori ſuo aliquis remiſerit cautionem, vel inſtrumentum debiti reddiderit, videtur inter hos conueniſſe, ne petatur debitum: profuturamq; ei conuentionis exceptionem placuit.[a] Quandoquidem & opere ſeu facto ipſo, conſenſum vel effectum ad pacta talia videantur præſtare, licet verbo expreſſa non fuerint, Quemadmodum & in vrbanis habitationibus locandis. inuecta illata pignori eſſe locatori placuit, etiam ſi nihil nominatim conuenerit, vel ex eo, quia etiam conuentiones tacitæ valeant. Secundum quæ & mutus etiam paciſci poſſet. huius rei argumentũ præbet etiam ſtipulatio dotis cauſa facta. nam dos ante nuptias male petitur, quaſi hoc expreſſum fuiſſet: quoniam nuptijs non ſecutis, pariter ipſo iure euaneſcit ſtipulatio. Idemq; & Iuliano placuit, ex facto etiam conſulto, cùm conueniſſet, vt donec vſuræ ſoluerentur, ſors non peteretur: & ſtipulatio purè concepta fuiſſet, conditionem ineſſe ſtipulationi Iulianus reſpondit: atq;

a Paul. libr. 3. ad edict. in L. Labeo. ff. eo.

si hoc expressum fuisset.[a] Similiter & si post venditionem hæreditatis ab aliquo factam, creditores contra emptores, actiones suas moueant, eosq; eas spontanea voluntate suscepisse probetur: exceptione taciti pacti non inutiliter defendetur venditor:[b] & hæc quidē tunc obtinent, seu locum habent maximè, quando pro natura facti, duo sic sibi inuicem cohærent, vt alterum trahat aliud, vel sequatur aut depēdeat à se præcedente. aut sic taciturnitas cohæret facto, vt citra læsionem vel euidens damnum partis alterius, & citra fraudem cum consensu legitimo vtriusq; partis conuenit, pactum est: vtpote volens sponte remittere alter alteri, aut gratiam & beneficium facere alioqui, tutum ac indemnem præstare aliquem & eiusmodi. Quoniam si econtra pignus creditor debitori redderet, non animo liberandi, sed bonafide, spe recepturi debiti, si pecunia demum soluta non fuerit, quin debitum peti posit, dubium non est: nisi specialiter (vt dictum est) contrarium actum esse probetur.[c] ita patet manifeste ex consensu solo, pacti taciti qualitatem metiendam, ac æstimandam esse: vnde & vbi is affuerit certus ac liber, & si acceptilatio inutilis fiat, tacita attamen pactione actum videbitur ne petatur:[d] neque impedimentum faciet alioqui acceptilationis inutilitas,

a Paul. libr. 3. ad edict. in l. item quia. ff. de pact. & Florenti. lib. 8. institu. in l. qui in futurum ff. eod.

b Seuerus & Anto. aa. Claudio, in l. post uenditionem, C. de pact.

c Modesti. li. 3. regul. in l. post pign°. ff. de pact.

d Paul. libr. 3. ad edict. in l. si unus. §. fin. ff. eod.

tas, vbi voluntas accepto ferendi certa ac valida extiterit. Verùm cùm & taciti & expreßi inter absentes & præsentes, ac alterius cuiusuis qualitatis constituendus vnus sit finis vel effectus, propter quem præcipuè in vsu sunt, & efficientes aliquos qui ceu instrumenta, negotium ad suam executionem deducat, talẽ autem vsum & effectum, ex subiecto aliquo prouenire sit conueniens, seu in aliquem concipi, à quo demũ conuentionis præstatio exigatur, sic vt per pactum alius constituatur conuenti obseruator interdũ, aliquando verò vterq; : obseruator quidem facti vel operis præstandi paulò pòst, pro modo pacti initi, aut ad præstationem rei de qua communi placito conuenit, vel quod certa persona etiam, certi aliquid suo expromissori exhibeat, vbi præscriptum tempus vel conditio extiterit: ita effectum est propterea, vt pactorum, quædam in personam, & quædam in rem sint, aliqua quæ ex altera parte in personam, ex altera verò in rem sint concepta. In personam igitur pacta sunt, quoties pactum fit, ne à persona petatur: vtpote ne à Lucio, Titio, Mario, Ioanne, Petro & similibus aliquid exigantur: ne ijdem seu illorum aliquis agat furti, iniuriarũ, de damno infecto, ac innumeris eiusmodi. Vtrum autem in personam an in rem pactum sit factum, non

minus

minus ex verbis, quàm ex mente conuenientium æstimare oportet: plerunq; enim (vt Pædius ait) persona pacto inseritur, non vt personale pactum fiat, sed vt demonstretur cum quo pactum est factum[a] & personalia quidem pacta ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem etiam Labeo ait,[b] cùm concepta in vnum illius personam non transgrediantur, sed finiant ac absoluantur in eodem, paulò aliter quàm realia, quæ in rem concepta, rei possessorem (licet is mutabilis sit) non deserunt. Tale verò pactum, profiteor te non teneri, cùm generale sit, & quasi indefinitum, non in personam dirigitur, locum attamen ex sua generalitate inter hæredes quoq; litigantes habebit.[c] In rem pacta sunt, quoties generaliter paciscitur, ne petatur res aliqua.[d] quòd si & hæc fiant in traditionibus rerum ipsarum, quodcunq; pactū fiet, id validum erit.[e] quasi habeat traditio accedens pacto, liberalis ac certi consensus aliquid, vt validitate maiore ad integrum suum robur non egeat: prout de acceptilatione inualida, in præcedentibus diximus. Quatenus verò habēt rem, plures possessores interdum, seu plures vni rei addictos, per cōmunionem variam, vel per commune debitum etiam pacta in rem omnibus proderunt, quorum obligationem dissolutam esse,

a Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. iurisgentium. §. pactorũ autem. ff. eo.
b Paul. libr. 3. ad edict. in l. idē in duobus. ff. de pact.
c Papin. lib. 5. respon. in l. tale pactum ibi.
d Vlpia. libr. 4. ad edict. in l. iurisgētium. §. pactorum. ff. eod.
e Caius lib. 4. ad legē 12. tabu. l. in traditionibus. ibi.

esse, eius qui paciscebatur interfuit. Ideoq; & debitoris conuentio fideiussoribus proficiet. [a] Nisi hoc actum esset, vt duntaxat ab altero non petatur, vtpote à reo, à fideiussore verò petatur: hoc enim casu, fideiussor exceptione nō vtetur. [b] Ex altera parte in rem, ex altera in personam si pactum conceptum fuerit, veluti ne ego petam, vel ne à te petatur, tunc hæres meus ab omnibus vobis petitionem habebit, & ab hærede tuo omnes petere poterimus. [c] & quemadmodum concipere vel dirigere pactionem ipsam in aliquem, qui præstet mox, quod conuenit, necesse est, vt det, transferat, faciat vel non faciat & eiusmodi. Ita & tractatum seu negotij speciem oportuit vt haberent aliquam, in qua vel eorum occasione componerentur ac fierent, vbi maximè pacta per seipsa certā alicuius præcipui facti speciem non constituunt, sed accedunt magis & adiunguntur alijs, velut in præsidium, quòd ad certos terminos & ad determinatas formas cōueniant qui negotiantur, propter quod dictum est, conuentiones illas validiores quæ actiones pariunt, in suo nomine non stare, sed transire magis in proprium nomen contractus, velut in emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem, commodatum, depositum, & cæteros eiusmodi contractus. Si verò extra nomina

a Paul. in l. & hæredi. §. fina. ibi.

b Vlpia. lib. 53. ad edict. in l. nisi. ff. eod.

c Floren. libr. 8. instit. §. si ex altera. ff. eod.

contra

contractuum prædictorum de aliquo conueniat, seu paciscatur alioqui, vtputa si dedi tibi rem, vt mihi aliam des, dedi vt aliquid facias; quod *συνάλλαγμα*, hoc est permutatio dici posset, & si in alium cōtractum res non transeat, subsit tamen causa, eleganter Aristo Celso respondit, inesse obligationem & in prædictis. Et ideo putatum est, recte Iulianum à Martiano reprehensum in hoc, videlicet dedi tibi stichum, vt Pamphilum manumittas, manumisisti, euictus est stichus: Iulianus scribit, in factum actionem à prætore dandam, ille ait ciuilem incertam actionem præscriptis verbis sufficere. esse enim contractum quod Aristo, *συνάλλαγμα* dicit, id est permutationem, vnde hæc nascitur actio.[a] Cùm verò nulla subest causa facti seu dati, præter conuentionem, hic constat, non posse constitui obligationem. Vnde & talis pactio nuda citra contractum, obligationem nec actionem parit, sed exceptionem duntaxat. quanquam interdum & formet nuda pactio actionem, vt in bonæ fidei iudicijs. Solet enim dici, pacta conuenta inesse bonæ fidei iudicijs: quod tamen sic accipiendum est, vt si quidem ex continenti pacta subsecuta sunt, etiam ex parte actoris insint, si verò ex interuallo, non inerunt, nec valebunt si agatur, ne ex pacto actio nascatur: vtputa si post diuortium conueniret, ne

a Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. iurisgentiū. §. j. ff. de pact.

ne tempore statuto dilationis per instrumētum dotis videlicet aut alia conuentione dos reddatur, sed quod statim, hoc non valebit. quando si alioqui esset validum, ex pacto simplici & nudo, actio nasceretur, quod esset contra prædicta. Idem Marcellus scribit, etiam si in tutelæ actione conueniat (quando & tutelæ actio, est extra omnem speciem contractus, & sic pactum in ea factum sit nudum) vt maiores quàm statutæ sunt, vsuræ præstentur, locum hoc non habebit: ne (vt dictum est) ex pacto simplici & solo per se actio nascatur. Ea enim pacta quæ in ingressu contractus facta sunt, illa inquam sunt, quæ legem contractui dant. Idem responsum est à Papiniano, & si post emptionem ex interuallo aliquid extra naturam contractus conueniat, ob hanc causam agi ex empto non posse, propter prædictam regulam, ne ex pacto simplici & nudo, actio nascatur (quod & in omnibus bonæ fidei iudicijs erit dicendum) licet ex parte rei locum habeant pacta talia. quia solent & ea pacta quæ postea interponuntur, parere exceptiones[a] cùm in bonæ fidei contractibus, ita demum ex pacto actio competat, si incontinenti fiat: nam quod postea placuit, id non petitionem, sed exceptionem parit.[b] Verùm de his quæ pariunt actionem & exceptionem, prosequemur in se-

quent

a Idem ibidē. §. sed cum. & §. vtputa.

b Maximi. a. Mario in l. in bonæ fidei. C. de pact.

quentibus latius suo loco, quando vigor & effectus pactorum hæc sunt postponenda alijs partibus, quæ causam suam præcedentẽ habent, hic verò vt ad rem redeamus vbi mentio pactorum est habita, eorum videlicet quæ non nuda sunt sed quæ in contractus varios fiunt, existimare in consequentiam & illud operæ pretium fuerit, num vbi facta sunt, seruare illa omnino sit necesse? num mutari vel recedi ab illa contraria pactione liceat, ac demum, num liceat indifferenter ac citra quoduis discrimen, pacisci seu conuenire de quibusuis, an verò non de omnibus, sed de aliquibus tantum? conuentionnm verò quòd tres sint species, non maximi id puto futurum momenti, quatenus ad validitatem vel inualiditatem ipsorum, sed ad id duntaxat, vt cognoscatur, ex qua causa & à quo iure fiant. secundum quod dictum est, fieri ipsas, aut ex publica causa, aut ex priuata, & publicam conuentionem esse, quæ fit per pacem, quoties inter se duces belli quædam paciscuntur, [a] priuata verò aut legitima, aut iurisgentium. Et legitima quidem conuentio est, quæ à lege aliqua confirmatur, ideoq; interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur, quoties lege vel Senatusconsulto adiuuatur: [b] quibus cõtraria sunt illegitima quæ aduersus seu contra legẽ fiunt, de quibus suo etiam agemus

a Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. conuentionũ. ff. de pact.

b Paul. libr. 3. ad edict. in l. legitima. ibi.

agemus loco. Iurisgentium conuentiones, quædam actiones pariunt, quædã exceptiones, quæ pariunt actiones, in suo nomine non stant sed in contractus proprium nomen transeant [a] vt vidimus in præcedẽtibus. Quæ pariunt exceptiones sunt pacta nuda ac simplicia, citra alicuius contractus nomen, de quorum vtriusq; differentijs prosequemur in sequentibus latius. Ad primum igitur eorum quæ paulò antè nobis tractanda proposuimus, si quidem fatendum est, vt in principio testati sumus, ad hoc pacta introducta fuisse ab eorum origine, vt aliquo vsui negotiationibus ac tractatibus hominũ essent, nec recepta esse in iure inutiliter, constituendum est igitur, vt eiusmodi pacta inita obseruare à paciscentibus ipsis conueniat, quandoquidem huius edicti æquitas, naturalis est. Quid enim tam congruũ est humanæ fidei, quàm ea quæ inter contrahentes placuerint, seruare? [b] & tunc magis, quando bona fide, & citra fraudẽ aliquam sunt composita. ait enim prætor, pacta conuenta, quæ neque dolo malo, neq; aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum, neq; quò fraus cuiquam eorum fiat, facta erunt, seruabo. [c] Ideoque etsi de pascendo pecore partiario inter Apolinarem pastorem, & suum dominum conuenerit, hoc est vt fœtus eorum, por-

a Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. iurisgentiũ. §. j. ibidem.

b Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. hui⁹ edicti. ff. eod.

c Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. iurisgentium. §. prætor ait. ff. de pact.

tionibus quibus placuit, inter ipſos diuidantur, fidem pacto præſtare, per iudicem compelli poterunt.[a] Similiter & ſi quis dotem pro alumna vel pro filia ſeu quauis alia dans, legem aliquam pacti conſtituat, ſeruari hanc oportet: nec oberit quod dici ſolet, ex pacto actionem non naſci; quando tunc hoc iure vtamur, cùm pactum nudum eſt. quod ſi pecunia detur, & aliquid de reddenda ea cõuenit, vtilis ex hac conuentione competet condictio.[b] Idem & ſi debitori ſuo, aliquis hæres exiſteret, actio quam contra eum habuit adita hæreditate cõfunderetur. Si verò eam hæreditatem poſteaquã in iudicio obtinuit, ei tradat, quem ſententia ſuperauerat, ea conditione pactoq;, vt tam cæteris creditoribus, quàm ſibi, in eo quod ſibi deberetur, ſi eam hæreditatem non adijſſet, ſatisfaceret: pacti conuentionisq; fides ſeruanda eſt. quæ ſi non ſeruetur, ex ſtipulatione (ſi modo pacto ſubiecta eſt) dabitur actio: vel præſcriptis verbis, ſi ſtipulatio non interuenit.[c] nec referet etiam ſi ante aditam hæreditatem paciſcatur quis cum creditoribus, vt minus ſoluatur, quando etiam pactum tale valiturum eſt. adeò vt ſi quis paciſcendo etiam renuntiet priuilegijs quæ pro ſe introducta ſunt, non ideo minus æquum ſit, quod conuenit pacto ſeruari. vnde & ſi quis in conſcribendo inſtrumẽto, ſeſe confe

a Anto. a. mucarraulio. in l. ſi paſcenda. C. de pact.

b Alexã. 1. nicæ. in l. legem. C. eod.

c Anto. a. Maximo in l. debitori. C. de pact.

confessus fuerit, non vsurum fori præscriptione, propter cingulum militiæ suæ, vel dignitatis, vel etiam sacerdotij prærogatiuam: & licet antea dubitaretur, an oporteret eandem scripturam tenere, & eum qui hoc pactus esset, non debere aduersus suam conuentionem venire, an licentiam ei præstari, discedere quidẽ ab scriptura, suo autem iure vti: sancitum attamen est, nemini licere, aduersus pacta sua venire, & contrahentes decipere. Si enim ex ipso prætoris edicto, pacta conuenta, quæ neq; contra leges, neq; dolo malo inita sunt, omnimodo obseruanda sunt, quare & in hac causa, pacta non valeant? cùm alia sit regula iuris antiqui, omnes licentiam habere, his quæ pro se introducta sunt, renuntiare: mandaturq́; omnibus iudicibus, hoc in litibus obseruare, sic vt huiusmodi obseruatio & ad pedaneos iudices, & ad compromissarios & arbitros electos perueniat: sciturós, quòd si neglexerint, etiã litem suã facere intelligantur.[a] Idemq́; obseruari mandatur, nedum in principali causa, sed & in appellationibus pariter. Vnde & si qui prouocauit, pactus est intra diem certum, pecunia qua transegerat non soluta iudicatis se satisfacturũ. Iudex appellationis, nullo alio de principali causa discusso, iustã confessionem, veluti confessi sequetur[b], & si quidẽ, vt est varius con-

a Iustinian. a Ioanni præfe cto prætorio in l. si quis. C cod.

b Papinia. lib 5. respon. in l tale pactũ. cod.

ſenſus, voluntas & mens hominum, accidat paciſci ſæpius pro re vel negotio aliquo, pacta nouiſsima ſeruari oportere, tam iuris quàm ipſius rei æquitas poſtulat. Quòd ſi conuentione quæ præceſsit, diuerſa pars vſuram ſe non eſſe conſenſit, & maximè, ſi (vt propoſitũ fuit) id etiam apud acta præſidis aſſeuerauerit, actionem quæ ſuper prima conuentione fuerat, exercere quis non prohibetur.[a] Si verò negotium omne ſit finitum, vtpote quòd liti de prædio motæ per pactum renuntiatum ſit, cauſam finitam inſtaurari poſſe, nulla ratio permittit.[b] neq; obſeruationibus pactorum prædictis quicquam repugnabit, quominus prout ſunt inita ſeruari debeant, licet in ſcriptis non fuerint redacta, quoniam ſi pactum bona fide interpoſitum doceatur, & ſi ſcriptura non exiſtente, ſi tamen alijs probationibus, rei geſtæ veritas comprobari poteſt, præſes prouinciæ, ſecundũ ius cuſtodiri efficiet.[c] nec ab illo duntaxat qui pactus ipſe fuerit, ſed & ab ipſius hærede interdum. Licet ergo epiſtola, qua quis cohæredem ſibi aliquem eſſe cauit, petitionem nullam aduerſus poſſeſſorem rerum hæreditariarum donet, ſi tamen inter debitorem, & eum qui fundum pignoratum à creditore, quaſi debitoris negotium gerens emit, placuerit, vt habita compenſatione fructuum, ſolutoq; eo quod

reliquum

[a] Alexand. a. Macillæ. in l. pacta nouiſsima. C. eod.

[b] Seuerus & Anto. valeria. in l. poſtquam liti. C. eod.

[c] Dioclet. & Maxi. aa. dexi macho. in l. pactum. ij. C. de pact.

reliquum deberetur, fundus debitori restitueretur, etiam hæres, pacto quod defunctus fecit, fidem præstare debet. [a] Verùm prout consensu & voluntate, seu pro arbitrio, non fiunt omnino pacta, vel fiunt pro libito contrahentiũ vbi occasio & voluntas vtriusque accesserint. sic etiam vbi constituta sunt, vel vbi conuenit, mutari vel recedi ab eisdem poterit: mutatio verò ipsa cùm multiplex ac varia esse possit, quid iuris sit in singulis, operæpretium fuerit inquirere: in bonæ fidei igitur iudiciјs, re nondum secuta, quin per cõuentiones quæ ex eodem sunt contractu, abiri ab eisdem posit, dubitationem non habet. Quod si in totũ potest, cur non & pars eius mutari pactione poterit? & hæc ita Pompo. lib. vj. ad edictum scribit. Et cùm est ex parte agentis, pactio locum habet, vt & ad actionem proficiat, re nondum secuta. Eadem ratione, si potest tota res tolli, cur non & reformari, vt quodammodo quasi renouatus contractus videatur? quod non insubtiliter dici potest. Vnde illud æquè nõ reprobatur, quod Pomponius libris lectionũ probat, posse videlicet in partem recedi pacto ab emptione, quasi repetita partis emptione. Sed & si cum duo hæredes emptori extiterint. si venditor cum altero paciscatur, vt ab emptione recedatur, ait Iulianus valere pactionem, & dissol-

a Vlpia. lib. 3 opinionũ. in l. epistola. §. j. ff. de pact.

ui pro parte emptionem: quoniam & ex alio contractu paciscendo, alter ex hæredibus acquirere sibi exceptionem potuisset. Vtrunq; itaque placuit, & quod Iulianus & quod Pomponius ait [a] adeò vt pateat iam, ac certum sit, quòd ab emptione, venditione, locatione, conductione, cæterisq́; similibus obligationibus integris omnibus, consensu eorũ qui inter se obligati sunt, recedi posśit. Aristoniq; hoc amplius videbatur, vt si ea quæ me ex empto præstare tibi oporteret, præstitissem. Et cùm tu mihi propterea pretium deberes, conuenisset mihi tecum, vt rursum præstitis à te in rem venditam omnibus, quæ ego tibi præstitissem, pretium mihi non dares, tuq́; mihi præstitisses, pretium te debere desinere ait. Quia bonæ fidei (ad quam omnia hæc rediguntur) interpretatio, hanc quoq; conuentionem admitteret. Nec quidquam interesse, vtrum integris omnibus, in quibus obligati essemus, conueniret, vt ab eo negotio discederetur, an in integrum restitutis his quæ ego tibi præstitissem, consentiremus, ne quid tu mihi eo nomine præstares [b]. Reformari verò seu mutari vel elidi pactum per aliud pactum videtur, quemadmodum si pactus ne peteret, postea conuenit vt peteret, prius pactum sic, per posterius elidetur. non quidem ipso iure, sicut tollitur stipulatio

[a] Vlpia. lib. 4. ... edict. in l. ...risgentiũ. §. ...deo. ff. eod.

[b] Neratius li. ...mẽbrana. in ...ab emptio- ... §. j. ff. eod.

tio per stipulationem, si hoc actum est: quia in stipulationibus ius continetur, in pactis factum versatur, vtpote per præstationes rerum seu factorum. Et adeò replicatione elidetur exceptio. Eadem ratione contingit, ne & fideiussoribus prius pactum prosit. [a] Quòd si non vt tolleret totum contractum pactum conuentum intercessit, sed vt minueret, posterius pactum, potest renouare primum contractum. Quod & in specie dotis actionis procedere potest, vtputa pactam mulierem, vt præsente die dos redderetur: deinde pacisci, vt ei tempore legibus dato, dos reddatur, tunc enim incipiet dos redire ad ius suum, nec dicẽdum est deteriorem conditionem dotis fieri per pactũ. Quoties enim ad ius quod lex naturæ ei tribuit, de dote actio redit, non fit causa dotis deterior, sed formæ suæ redditur. Hæcq; & Scæuolæ placuerunt: [b] illud planè conuentione, quæ pertinet ad resoluẽdum id quod actum est, perfici non potest, vtpote quòd tu, id quod iam ego tibi præstiti, contra præstare mihi cogaris. quia eo modo non tam hoc ageretur, vt à pristino negotio discedatur, quàm vt nouæ quædã obligationes denuo inter eos constituerentur. [c] Quemadmodum & si pactum conuentum tale fuit, quòd actionem quoq; tolleret, veluti iniuriarum, non poterit postea paciscendo

a Paul. libr. 3. ad edict. in l. si vnus. §. pact°. ibidem.

b Idem ibidẽ. versic. quòd si non.

c Nerat. lib. 3. membra. in l. ab emptione. versic. illud in fi. ff. eod.

efficere, vt agi posſit: quia & prima actio ſublata eſt, & poſterius pactum, ad actionem reparandam inefficax eſt. Si quidem non ex pacto iniuriarum, actio naſcitur; ſed ex contumelia idem dicendum eſt, & in bonæ fidei cõtractibus, ſi pactum conuentum, totam obligationem ſuſtulerit, veluti empti, non enim ex nouo pacto prior obligatio reſuſcitatur, ſed proficit pactum, ad nouum contractum.[a] Similiter & poſtquam liti de prædio motæ renuntiatum eſt, cauſam finitam, pacto inſtaurari poſſe, nulla ratio permittit.[b] vt in præcedentibus iam eſt deductũ. Velut maximè & in fideiuſſoribus hoc obtinet. Vnde & ſi reus poſtquã pactus eſt, à ſe non peti pecuniam (ideoq; cœpit id pactum fideiuſſori quoq; prodeſſe) pactus ſit demum idem reus, vt à ſe peti liceat, cùm quæreretur, an vtilitas prioris pacti ſublata ſit fideiuſſori, verius viſum eſt, ſemel acquiſitã fideiuſſori pacti exceptionem, vlterius ei inuito extorqueri non poſſe.[c] & de pactis validis ac mutationibus pactorum ſatis hactenus: cùm verò in præcedentibus dictum ſit, pacta ſeruanda eſſe. ſeruare porrò pactũ, cùm indefinitum ac indiſtinctum ſit, diſcuſsionem illam nobis relinquere videtur, num indifferenter & citra diſcrimen, pacta omnia ſeruãda ſint, an verò obſeruare aliqua conueniat, aliqua autem

a Paul. libr. 3. ad edict. in l. ſi vn°. §. pactus. verſi. ſed ſi. ff. eod.

b Seuer. & Anto. valeriæ. in l. poſtquã liti. C. cod.

c Furius anth. li. 1. ad edi. in l. ſi reus. ff. cod.

tem

tem non. & si quidem cohueniens sit & rationabile, introducta ad hoc fuisse, vt obseruarentur, magis quàm vt componerentur inter homines inutiliter, ea tamen est humanæ naturæ conditio, vt si indistinctè ex omni causa pacisci liceret, plurima essent, quæ mala fide, quæ iniquè & contra leges fierent, quàm quæ econtra ex præscripto legis, & secundum rationem: vnde nimirum si prouidentia quadam, adhibendum tale discrimen in his inductum fuerit, vt sola illa ad obseruandum reciperentur pro legitimis, quæ re ipsa & verè legitima essent: quæ verò non sic, prohiberentur, ac iudicarētur extra omnem obseruationem illicita, & non recipienda. Dictum igitur est, pacta conuenta quæ neq; dolo malo, neq; aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principū, neq; quo fraus cuiquam eorum fiat, facta erunt, talia inquam seruari faciet pro sua iurisdictione prætor.[a] Et dolū malum excipit à pacto prætor: ex eo quod talia calliditate & fallacia fiant. & (vt ait Pedius) dolo malo pactum fit, quoties circunscribendi alterius causa, aliud agitur. & aliud agi simulatur.[b] Sed cùm & si fraudandi causa pactum factū esse dicatur, nihil prætor edicat, eleganter Labeo ait, hoc aut iniquum esse, aut superuacuū, iniquum si quod semel remisit creditor debitori suo, bona

a Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. iurisgentiū. §. prætor ait.

b Idem ibidē. §. pactorū. ver. dolo malo.

fide,iterũ hoc conetur destruere: superuacuum, si ipse deceptus hoc fecerit, inest enim dolo, & fraus. Siue igitur ab initio dolo malo pactum factum est, siue post pactum, dolo malo aliquid factum est, nocebit exceptio, propter hæc verba edicti, ne quid fiat.[a] Ideoq; & si posteaquam aduersarius seu quiuis alius victus esset, vel quomodouis aliter aliquem circumueniat, vt ei caueat, nullam se controuersiam de seruis siue de re alia moturam, quoties pactum mala fide fiet, id erit irritum: & ex tali conuentione cum agere cœperit, iudex damnum vel circũuentionem passum, liberabit.[b] Quandiu ergo in pactis cessabit dolus, fraus, circunuentio & eiusmodi mala, & secundum legum decreta vel ordines fient, præterea, tandiu iusta & valida esse censeri oportet. Quare & si quis in cõtractibus depositi, commodati, locati & cæteris similibus, hoc pactum constituat, vt ne facias furem vel fugitiuum seruum meũ, hoc est, ne solicites vt fur fiat, vel fugitiuus, ne'ue ita negligas seruũ, vt fur efficiatur; sicut serui corrupti actio locum habet, ita potest etiam hæc pactio locum habere, quæ ad non corrumpendos seruos pertinet[c] cuiusmodi & pactũ vt si quas summas propter tributiones prædij pignori nexi factas, creditor soluisset, à debitore reciperet, & vt tributa eiusdem prædij debitor

a Idem ibidẽ. §. sed si.

b Alex. a. Dionysio in l. cũ postquã. C. de pact.

c Vlpian. libr. 42. ad Sabi. in l. non impossibile. ff. de pac.

bitor penderet: iustum est, & ideo seruandum [a] nec improbantur illa pariter, si paciscatur aliquis ne iudicati, vel incensarum ædium agatur, hoc enim pactum validum erit. Quòd si paciscatur aliquis, ne operis noui nuntiationem exequatur, quidam putauerunt non valere pactionem, quasi in ea re prætoris imperiũ versaretur. Labeo autem distinguendum putauit, vt si ex re familiari operis noui nuntiatio sit facta liceat pacisci, si de re publica, non liceat. quæ distinctio vera est. In cæteris igitur omnibus ad edictum prætoris pertinentibus, quæ non ad publicam læsionem, sed ad rem familiarem respiciunt, pacisci liceat. Nam & de furto, pacisci lex permittit. Sed & si quis paciscatur ne depositi agat, secundũ Pomponium valet pactum. Item si quis pactus sit, vt ex causa depositi, omne periculum præstet, Pompo. ait pactionem valere, nec quasi contra iuris formam factam, non esse seruandam: [b] imò & si conditionis incertum seu incerta conditio, conuentione vel pacto finiretur, non ideo minus valida essent: velut cùm verbis fideicommissi petitum ab aliquo aliquando profiteatur, vt si vita sine liberis decederet, hæreditatem Licinio Frontoni restitueret, pactum eo tempore de sextante videlicet Licinio Frontoni dando, interpositum, cùm liberos Philinus

a Vlpia. libro 3. opinio. in L. epistola. §. pactum. ff. eod.

b Vlpia. lib. 4. ad edict. in L. iurisgentiũ. §. si paciscar. ff. eod.

non

non sustulerit. Non idcirco potest iniquum videri, quòd facta sicut placuit diuisione, diē suum m te filio eius superstite functus est.[a] Quod verò dictum est pacisci non licere aduersus edicta, potest locum habere in edictis principum, non autem generaliter, quando & pacisci contra edictum ædilium curulium omnimodo liceat, siue in ipso negotio venditionis gerendo cōuenisset, siue postea.[b] & valida quidem esse prædicta omnia & cætera his similia, interpretandum est, vt valeant pro modo & conditionibus quibus conuenit, non autem aliter, vnde & si de inofficioso patris testamento acturus, vt ei certa quantitas, quoad viueret hæres præstaretur, pactus est: cùm produci ad perpetuam præstationem id pactum postularetur. Rescriptum est, neque iure vllo, neq; æquitate, tale desiderium admitti,[c] prout & ex nudo pacto inefficaci ac inualido ad obligationem euenit, propter quod si certis annis quod nudo pacto conuenerat, datum fuerit, ad præstandum in posterum indebitum solutum, obligare non potuit eum, qui pactum fecit. nisi placitis stipulatio intercesserit[d] cæterùm dolum fraudes, circumuentiones & eiusmodi, dicimus in præcedentibus obstare validitati pactorū, ita & generaliter, quotiescunq; pactum à iure communi remotū fuerit, seruari hoc non opor

a Seuer. & Anto. aa. Philino. in l. j. C. de pactis.

b Vlpia. lib. 1. ad edict. curulium. in l. pacisci. ff. eod.

c Vlpia. lib. 3. opinio. in l. epistola. §. de inofficioso. ff. c.

d Diocler. & Maxi. aa. leontio. in l. si certis annis. C. de pact.

oportet.[a] Quandoquidem & pacta quæ contra leges, constitutionesq; vel contra bonos mores fiunt, nullã vim habere indubitati iuris est.[b] pacta igitur contra iuris ciuilis regulas, rata non habentur, veluti si pupillus, sine tutoris autoritate pactus sit, ne à debitore suo peteret, aut ne intra certum tempus (veluti intra quinquennium) peteret: nam de iure nec solui ei sine tutoris autoritate potest. Ex diuerso tamen, si pupillus pacisceretur, ne quod debet à se petatur, ratum haberetur pactum conuentum: quia meliorem suam conditionẽ facere ei etiam sine tutoris autoritate concessum est. prout & si curator furiosi aut prodigi pactus sit, ne à furioso aut prodigo peteretur, longè vtile esset, curatoris pactionem recipi, sed non econtra:[c] absonum enim id & citra omnem rationem dijudicari posset, si pactis priuatorum pro arbitrio aduersari legibus liceret, non minus quàm si de illis conce-deretur pacisci, quæ publicam causam contingunt. quando quotiescunq; pactum conuentum à re priuata remotum est, non esse seruandum leges perhibent,[d] cùm ius publicum, priuatorum pactis mutari nequaquam posit.[e] Velut etiam si inter debitorem & creditorem conueniret, vt creditor onus tributi prædij pignorati non agnosceret, sed eius soluendi necesitas ad

debit

a Vlpia. lib. 4 ad edict. in l. iurisgentiũ. §. si paciscar. versi. & generaliter. ff. de pact.
b Anto. a. Basiliæ. in l. pacta quæ. C. cod.
c Caius lib. 1. ad edict. prouin. in l. cõtra iuris. §. j. ff. de pact.
d Paul. libr. 3. ad edict. in l. si vnus. §. pacta. in fin.
e Papin. lib. 2. quæst. in l. ius publicũ. ff. de pact.

debitorem spectaret: talem conuentionē (quantum ad fisci rationem) non esse seruandam Papinianus respondit. pactis etenim priuatorum, formam iuris fiscalis cōuelli non placuit.[a] Quod & Imperatores Seuerus & Anto. in hāc ferè sententiam rescripserunt, priuatis videlicet pactionibus, non dubium esse, non lædi ius cæterorū.[b] Idemq; & alibi hoc modo debitori reipublicæ, à curatore remitti pecunias non posse, & cùm Philippensibus remissæ essent, reuocandas esse.[c] In consequentiam verò seu ad similitudinē prædictorum, introductum dici potest, vt quemadmodum pacto recedere non licet, ab his quæ iure communi disposita sunt, ita nec eodem pariter permittatur, vel licitum alioqui sit, conuenire aduersus ea, quæ iure gentium seu naturæ, aut pro certa æquitate ac ratione, lōgo iam vsu sunt recepta, & obseruatione aliqua approbata: cuiusmodi ius agnationis non posse pacto repudiari, non magis quàm vt quis dicat nolle suum liberum, suum patrem & fratrem esse, Iuliani sententia est.[d] prout & in his quæ vt consensus essent liberi, relicta in puro cuiusq; arbitrio sunt, propter quod & nemo paciscendo efficere potest, ne sibi locum suum dedicare liceat, aut ne sibi in suo sepelire mortuum liceat, aut ne vicino inuito prædium alienet.[e] & eiusmodi infinita,

a Papi. lib. 17. respon. in l. inter debito. ff. de pact.

b Scæuola li. 1. digest. in l. Imperatores. ff. de transac.

c Papyrius Iustus lib. 2. constitu. in l. Imperatores. ff. de pact.

d Modesti. li. 5. regu. in l. ius autē. ff. de pac.

e Pompo. lib. 4. ad Sabi. in l. nemo. ff. eod.

nita,ne teſtari,ne matrimoniũ contrahere liceat, & cætera ſimilia. Item & cùm ſumptus prorogare litiganti honeſtum ſit,paciſci autem,vt non quantitas eo nomine expenſa cum vſuris licitis reſtituatur,ſed pars dimidia eius quod ex ea lite datum erit,non licebit.[a] Turpes verò & quæ ad triſtem ſeu periculoſum exitum deducunt pactiones ad dãnã, inſidias & eiuſmodi, nemo non dicerit tales cùm iniquæ ſint,iure & meritò improbandas ac expellendas ab omni bene inſtituta republica.Non ab re ergo & ſi in eam ſententiam dictum ſit, pacta quæ turpem cauſam continent,non eſſe obſeruanda. Veluti ſi paciſcatur quis ne furti agat vel iniuriarum, ſi furtum vel iniuriam feceris.quandoquidem expediat timeri furti vel iniuriarum pœnam.quanquã & poſt admiſſa hæc, paciſci quilibet poſsit.Item ne experiatur quis interdicto, vnde vi, quatenus publicã cauſam contingit, [b] prout dicimus in præcedentibus. quemadmodum nec illud vlla pactione effici poteſt, ne dolus malus præſtetur: quamuis ſi quis paciſcatur ne depoſiti agat, re ipſa id pactus videatur ne de dolo agat, quod pactum proderit,[c] quaſi in conſequentiam actionum duarum, ſic vt alterum dependeat ex altero, quod ſimpliciter alioqui non liceret, vt dictum eſt. Huiuſmodi eſt & quod nobis exemplo

a Vlpia.lib.4. opinionũ.in l. ſumptus. ibid.

b Paul. libr. 3. ad edict.in l.ſi vnus. §.pacta. ibidem.

c Idem ibidẽ. §. illud nulla.

plo sequēti proponitur, vtpote quòd duabus vel pluribus personis, spes alienæ hæreditatis fuerat, ex cognatione fortè ad eos deuoluendæ, pactaq; inter eos inita sunt, pro aduentura hæreditate, quibus specialiter declarabatur, si ille mortuus fuerit, & hæreditas ad eas peruenerit, certos modos in eadem hæreditate obseruari: vel si fortè ad quosdam ex his hæreditatis cōmodum peruenerit, certas pactiones euenire. Et cùm dubitaretur si huiusmodi pacta seruari oporteret. faciebat eis quæstionem, quia adhuc superstite eo de cuius hæreditate sperabatur, huiusmodi pactio processit, & quia non sunt ita confecta, quasi omnimodo hæreditate ad eos peruentura, sed sub duabus conditionibus composita sunt, si ille mortuus fuerit, & si ad hæreditatem vocentur ij, qui huiusmodi pactionem fecerunt, & cùm omnes eæ pactiones odiosæ visæ sint, & plenæ tristissimi ac periculosi euentus. Quando quodam viuente & ignorante, de rebus eius quidam paciscentes conueniunt; secundùm veteres itaq; regulas sancitum est, omnimodo huiusmodi pacta, quæ contra bonos mores inita sunt repelli, & nihil ex his pactionibus obseruari. nisi ipse fortè de cuius hæreditate pactum est, voluntatem suam, eis accommodauerit, & in ea, vsq; ad extremum vitæ spatiū perseuerauerit: tunc etenim

sublata

ſublata acerbiſsima ſpe licebit eis illo ſciente & iubẽte, huiuſmodi pactiones ſeruare. quod etiam anterioribus legibus & conſtitutionibus nõ eſt incognitum: licet hoc edicto clarius ſit introductum. Iubetur etenim neque donationes talium rerum, neq; hypothecas, penitus eſſe admittendas, neq; alium quenquam contractum. Cùm in alienis rebus contra domini voluntatem aliquid fieri, vel paciſci, ſecta temporũ noſtrorum non patiatur.[a] Quale & pactum fuit quod dotali inſtrumento comprehenſum eſt, vt ſi pater vita fungeretur, ex æqua portione ea quæ nubebat, cum fratre hæres patri ſuo eſſet. quod neque vllam obligationem contrahere, neq; libertatem teſtamenti faciendi mulieris patri potuit auferre.[b] Quanquam etſi inter priuatos locum hæc non habeant, aliter attamen militibus pergentibus ad diſcrimen belli ſit permiſſum.[c] Idem & ſi vt maleficium fiat vel non fiat, promiſſum ſit, nulla eſt obligatio ex tali conuentione.[d] & generaliter in prædictis ſeu eorum ſimilibus, & ſi iuſiurandum pro illis ſit adactum nequis agat, non ſeruandum Marcellus lib. ij. digeſtorũ ſcribit. Et ſi ſtipulatio ſit interpoſita de his, pro quibus paciſci non licet, ſeruanda non eſt, ſed omnimodo reſcindẽda.[e] Quantum autem ad qualitates vel conditiones pactorum reliqua ſi qui-

a Iuſtin. a. Ioanni præ. ſi. in l. de quæſtione. C. de pact.

b Valerian. & Galie. aa. pacumeio in l. pactum. la j. C. de pact.

c Diocl. & Maxim. victoriano militi in l. licet inter. C. eod.

d Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. iuriſgentiũ. §. ſi vt maleficiũ. ff. de pact.

e Idem ibidẽ. §. ſi paciſcar. verſi. & generaliter.

D dem

dem obscura vel ambigua pactio concepta fuerit, veteribus placuit, venditori, & ei qui locauit (& sic in cęteris cōtractibus) nocere potius quàm emptori & conductori: in quorum fuit potestate, legem apertius conscribere.[a] Quatenus verò facto & occasione multiplici accidit, vt qui paciscuntur, nullam interdum neque communionem neq; relationem ad aliquos habeant, interdum verò communione varia iungantur, ita vt per vicissitudines mutuas, ex facto vel opere aliorum, commodi vel incommodi accedat aliquid in alios, ad quos videlicet relatione patriæ vel dominicæ potestatis, siue alia, aut vicissitudine communis negotiationis, vel communione bonorum, se referunt aliquà: deductum est in quæstionem propterea, num pacta cum vno ex prædictis facta, alijs prosint vel noceant? An pacisci verò vel conuenire omnibus, indifferenter liceat, hîc non agitur: quandoquidem dictum est, pacta non constituere certam alicuius facti principalis speciem, sed velut ad subsidium aliquorum interuenire, sic vt partem duntaxat eorundem constituant. Vnde nimirum si & qui contrahere possunt, ijsdem & pacisci & transigere, & stipulari liceat, & permittatur: velut & qui validi sunt ad testamenta, ijdem ad substitutiones, legata fideicommissa & ad codicillos

[a] Papin. lib. 7. quæstio. in l. veteribus. ff. de pact.

suffi

ſufficiant: de illis ergo qui contrahere & paciſci lege permittente poſſunt, quæſtio hæc eſt, quantum ad perſonas paciſcentes, vel in quas concipiuntur pacta, ſi ij patresfamiliâs vel domini fuerint (vt prius de his qui adinuicem propter affinitatem vel poteſtatem patriam de dominorum, relationem habent aliquam, agamus) qui filios vel ſeruos in eorum poteſtate habent, num pactum per quemuis horum factum, proſit aut noceat alij? ad ea quæ pactorum effectus conſtituunt vel producunt alioqui: ſi ergo de pactis filiorumfamiliâs agendum eſt prius, vel ex eo quod frequētiſsima ſint, mox de reliquis ſuo ordine: paciſci igitur cum cōtingere poſsit hos, pro modo conditionis vel relationis, quam ad parentem habent differēter, & alias quidem ex cauſa vel occaſione quæ ſit propria ipſius filij, aliâs de cauſa quæ vtrunq; tangat, tam filium videlicet quàm patrem interdū, & de ea quæ ad ipſum duntaxat patrem ſpectet. Et filius quatenus filiusfamiliâs cùm hoc ſolo à cæteris differat, quia in poteſtate parentis eſt, nec bona habeant multi, quorū occaſione paciſci expediat, contrahendo, vel aliter quomodouis negotiando, quatenus tamen & ex his quamplurimi, ſiue omnes habere bona apti ſeu habiles ſunt, de his quæ ſibi obuenire poſſunt aliquando, conue-

nire nihil impediet: quemadmodum filiusfami liâs de eo quod sub conditione sibi legatum est, rectè paciscitur. Item & filiafamiliâs pacisci potest, ne de dote agat, cùm sui iuris esse cœperit.[a] Ex eo verò quod commune vtriq; est, vel participat pater in damnis datis vel iniurijs illatis filio, propter communem relationem ad sanguinem, vnde & vterque ad sese vindicandum proportione actionem obtinent, & si quidem videndum est in persona filijfamiliâs, an si pactus sit ne ageret, valeat pactio? quia filiusfamiliâs aliquando habet actionem vt dictum est, veluti iniuriarum, quin pactio filij nocitura non sit patri agere volenti, dubitare non oportet.[b] Quòd si filiusfamiliâs pactus fuerit ne à se petatur, proderit ei & patri quoque, si de peculio conueniatur[c] vel de in rem verso, vel si quasi defensor filij, (si hoc maluerit) cõueniatur.[d] Et hæredi patris viuo filio: post mortem verò filij, nec patri, nec hæredi eius, quia personale pactum est.[e] Ex re autem parentũ, siue ex administratione quam exercent vel negotiantur filijfamiliâs in bonis parentum propriorum, si quidem contrahendo paciscantur, ne à patre petatur siue de eo paciscantur quod cum ipsis, siue de eo, quod cum patre est contractum, acquirent & sibijpsis & parentibus exceptionem.[f] Si verò pactus sit filius ne

a Paul. libr. 3. ad edict. in l. & hæredi. ff. de pact.

b Caius lib. ad edict. prouincia. iu l. in personam. ff. eo.

c Pau. lib. 3. ad edictũ, in l. acquirent. ibid.

d Caius lib. 1. ad edict. prouin. in l. vel de ibidem.

e Pau. lib. 3. ad edictũ, in l. & hæredi. ibi.

f Paul. lib. 3. ad edict. in l. si tibi x. in fi. cum l. seq. ibidem.

he ipse peteret, inutile erit tale pactum.[a] quando hoc non potest in parentum suorum praeiudicium, si de re seu debito patris paciscatur, vel de peculio etiam, cuius vsusfructus patris est. Si quidem filius paciscendo vel debitum accipiendo, nihil detrahat patris obligationi.[b] Quando & his qui in aliena potestate sunt, recte solui potest, quod crediderint, licet nouare non possint. Quodque & in duobus reis stipulandi obseruatur.[c] Quod si in rem paciscatur filius, id est ne ea pecunia petatur, ita pactio huius rata habenda erit, aduersus patrem, si liberam peculij administrationem habeant, & si ea res de qua pacti sunt, peculiaris sit: quod & ipsum tamen non est expeditum. Nam cùm verum est (quod & Iuliano placet) etiam si maximè quis administrationem peculij habeat concessam, donandi ius non habere eum, sequitur vt si donandi causa de non petenda pecunia pactus sit, non debeat ratum haberi pactum conuentum. Quod si pro eo vt ita pacisceretur, aliquid in quo non minus, vel etiam amplius esset, consecutus fuerit, rata habenda erit pactio.[d] Ex quibus quidē notum esse potest, quando & ex quibus rebus pacisci filijsfamilias concessum sit, & quādo non. Si verò econtrario de pactis parentum inquiratur, num videlicet his quos in potestate habent, paciscen-

a Caius lib. I. ad edict. prouinc. in l. contra. §. si filius. ibidem.

b Diocl. & Maxim. aa. honorato. in l. filius. C. de pact.

c Pau. lib. 3. ad edictū, in l. si vnus. §. j. in fi. ff. eod.

d Caius lib. I. ad edict. prouinc. in l. cōtra iuris. §. si filius. ff. de pact. seq.

do prodesse possint? non posse Proculus ait, sed parentibus id profuturum, si nomine eorũ conueniantur: quod ita rectè dicitur, si in paciscendo id actum sit. Ego tamen distinguendum putarem hoc modo, vt si concipiant pactum parentes in re propria ipsorummet, etiã in personam filiorum quatenus nihil habent ij, cùm omnia penes ipsos parentes sint, etiam vtilitate pacti sibijpsis proficient: non autem liberis penes quos nihil est. Si verò in res concipiant, quorum proprietas liberis quæsita sit, dubium non facerem, quin & pacti commodũ, cum re de qua est conuentum, posset prodesse filio. Cæterũ quantum ad defensionem vel ad exceptionẽ quærendam attinet, si paciscatur pater ne à Titio filio petatur: deinde actionẽ aduersus eum cum quo pactus est nomine filij instituat, non erit danda pacti conuenti exceptio patri, nam quod ipsi filio inutile est, nec defensori eius competet. Iulianus quoq; scribit, si pater pactus sit, ne à se ne'ue à filio suo petatur: magis esse, vt pacti exceptio filiofamiliâs danda non sit, sed doli exceptio prosit, si in fraudem vel dolum sit factum.[a] Ex conuentione verò qua pactã alicuius nouercam cum patre eiusdem dicitur, cùm fundum in dotem daret, vt creditoribus quibus fuerãt prædia obligata, vsuras solueret, actio filio aduersus eã compet ere

[a] Pau.lib.3.ad edictũ, in l. & hæredi. §.nos auté.ff.de pac.

petere non poteſt,& ſi pactum in ſtipulationem deductum probetur. Quandoquidem pactum in perſonam mulieris cõceptum, aduerſus eam, creditoribus magis actio competit, ſi ſtipulatione firmatum ſit,quàm filio.Quod ſi fundus æſtimatus in dotem datus ſit (cum per æſtimationem ipſam,in venditionis naturam transformetur) ex vendito actio vt placitis ſtetur competet.[a] Quemadmodum & ſolis illis conuentiones prodeſſe receptum eſt,de quibus eſt dictum, non autem cæteris, velut ſi auus neptis nomine quam ex filio habebat, dotem promiſit, & pactus eſt, ne à ſe ne'ue à filio ſuo, dos peteretur, ſi à cohærede filij dos peteretur,ipſe quidem exceptione conuentionis tuendus non erit,filius verò exceptione cõuentionis recte vtetur, quippe hæredi conſuli cõceſſum eſt. Nec quicquam obſtat vni tantum ex hæredibus prouideri,ſi hæres factus ſit,cæteris autem non conſuli.[b]Paciſcuntur & ſerui eadem planè lege, qua & filijfamilias, licet horum ratio ſit paulò arctior in aliquibus. Quemadmodum ergo per mutationes quaſdam ſtatus fit,vt qui liberi ſunt ſerui fiant,& econtra rurſus ex ſeruis libertatem adipiſcantur variè, & vtroq; modo conuentiones diſsimiliter fiant. Ita euenit pariter, vt harum quædam inutiles omnino exiſtant, quædam vtiles: aliquibus ſi-

a Alex.a.Capitoni. in l.ex conuentione C.de pact.

b Celſus lib.1. digeſt. in l. auus.ff.eo.

bijpsis & suis dominis prosint, alijs non prosint: acquirant vel non acquirant actiones, exceptiones & eiusmodi: manifestum etenim illud est, suis rationibus vt quæ quis paciscitur sine libertate ex sua persona, quando nec consensum nec bona habeat, seu subiectum aliquod in quo pactionem suam cõcipiat, quod etiam tunc pactio inutilis sit, ac nullius momenti, vnde & si quis in seruitute aliquid pactus fuerit, negat Marcellus talem rectè pacisci, quoniam non soleat ei proficere, si quid in seruitute egerit, post libertatem: quod & in pacti exceptione admittitur. quanquam doli exceptio in his non respuatur[a]. Idem & si scriptus hæres sub conditione sit, ac paciscatur prius quàm libertatem & hæreditatem adipiscatur, non profuturum etiam pactum Vindius scribit.[b] Econtra verò si seruus necessarius, purè scriptus sit, & paciscatur etiam prius quàm sese immisceat, talẽ rectè pacisci putant, quod & verum est,[c] quandoquidem & libertatem & bona habeat hic, purè scriptus, ex quo extra seruitutẽ missus, hominibus liberis quantum ad hæc, similis efficitur: ita vt quasi talis eiusdem pacta rata & valida habeantur. Idem putat & in extraneo hærede, qui si mandato creditorum adierit, etiam mandati eum dicit habere actionem. & hæc de seruis simpliciter, quatenus

a Marcel. libr. 18. digest. in l. & suum. ff. de pact.

b Vlpi. lib. 4. ad edictũ, in l. iurisgentiũ. §. fi. ibidem.

c Marcel. libr. 18. digest. in l. & suum. §. j.

nus ad illorum duntaxat perſonas facit: ſi verò negotiantes contrahentes dum ſerui ſunt, relatio ad ſuos dominos, ſub quorum ſubſunt poteſtate, habeatur, ſi quidem negotiari & contrahere de dominorum ſuorum conſenſu illis nequaquam prohibetur, ita vt ſi dominicam pecuniam crediderit ſeruus, quod credendi tempore pactus eſt, valere Celſus ait.[a] Quandoquidem & illud etiam de æquitate iuris receptum eſt, vt per quos acquiri nobis ſtipulationibus poteſt: per eoſdem pactis cōuentis meliorem conditionem noſtram fieri poſſe.[b] adeò vt ſi paciſcatur ſeruus, ne à domino petatur, ſiue de eo paciſcatur quod cum ipſo, ſiue de eo quod cum domino contractum eſt, acquirent domino, pacti conuenti exceptionem: quod obſeruatur etiam, & in his qui bona fide ſeruiunt.[c] Si quid verò referant ad ſeipſos, vel in ſuam perſonam, quatenus ſerui ſunt, vt dicimus in præcedētibus, id inutile & nullius momenti erit. Vnde & ſi paciſcatur ſeruus, ne à ſe petatur debitum, vel ne petat ipſe debitum, vtroq; modo inutile erit tale pactum[d]. Quod ſi neq; in perſonam domini, neq; in ſuam paciſcantur ſerui, ſed in rem ipſam, indefinitè pactum concipiant, vt de filiofamilias dicimus, cùm donandi ius non habeant, etiam ſi illis peculij adminiſtratio ſit conceſſa, tunc tantum va-

a Vlpia.lib.4. ad edict. in l. ſin autē.ff.eo.

b Paul.libr.6. regula.in l.per quos.ibid.

c Pau.lib.3.ad edict.in l.ſi tibi.§.fin.cum l. ſeq.ibidem.

d Paul.li.3.ad edictū, in l. & hæredi. §. qđ ſi. & Caius li. 1.ad edict.prouin. in l.cōtra iuris.§. ſi fili⁹. ff.de pact.

lida erunt horum pacta, vbi aliquid vel etiam amplius, in vtilitatem suorum dominorum consequentur. [a] Similiter & si in rem pactum conuentum sit factum, per seruum hæreditarium, hæredi acquiri poterit: quanquam idem seruus hæreditarius, hæredi post adituro nominatim pacisci non possit, quia nondum dominus is sit [b]. Ideoq; nec nomine eius paciscens, illi actionem acquirere posset. Nisi fortè citra expreßionem nominis, hæredi futuro pacisceretur, quia tunc secus esset. Et velut in genere dictum est, seruos suis dominis prodesse posse, obesse autē nequaquam: ita & per singulas species intelligere hoc conuenit. & sic seruus creditoris, meliorem causam domini facere potest, in deterius autem reformare, nouo pacto non potest obligationem rectè constitutam. [c] Idem & si debitor sit fructuarius serui, & paciscatur seruus in quo vsumfructum habet, ne à suo fructuario petatur, paciscendo meliorem conditionem eius facit: ita & si creditor esset fructuarius, & pactus esset ne peteret, seruus autem fructuarius pacisceretur demum vt peteret, beneficio pacti, quod seruus interposuisset, vtiliter ad petitionem dominus admitteretur. [d] De pactis dominorum, an prosint seruis, superfluum esset inquirere, quando certum est, seruos quandiu serui sunt, nihil acquirere aut

a Caius lib. 1. ad edict. prouin. in l. contra iuris. §. si fili'. in fi. ff. co.

b Pau. lib. 3. ad edictū, in l. si vnus. § si ibid.

c Seuer. & Anto. aa. restituto. in l. seruus. C. de pact.

d Iulia. lib. 35. digesto. in l. si debitor. ff. co.

re aut habere posse, quin dominorum sit: ita vt damnum & vtilitas, in ipsos redundet semper: seruis vtpote inhabilibus ad hæc omnia. Ex re serui autem, vel de seruo ipso, si paciscatur dominus cũ debitore videlicet, vtpote ne stichum qui sibi debebatur peteret, mortuo sticho, intra tempora ad non petendum data, non tenebitur reus, qui ante pactum etiam, moram non fecit [a]. Prædictorum similitudine porrò, vel sic exigẽte paritate negotij, producta quæstio hæc duci potest, & ad tutores, curatores, procuratores, magistros societatum, & cæteros eiusmodi, inquirendo videlicet, num si paciscantur ij, illorum pacta, pupillis, adultis, dominis procuratorum, consocijs & similibus, prosint vel noceant an secus? & de tutore quidem, dubium non est (vt Iulianus scribit) quin horum pacta, pupillis prodesse possint. [b] Velut & negotiatio eorum seu munus totum, quod ad hoc introductum esse videtur, vt per omnia prosit magis quàm obsit. Et obsit etiã interdum, si qualitas negotij & æquitatis ratio id postulet: prout & ex horum officio toto, suis locis liquidius patere potest. ita vt ad tutores etiam negotium habẽtes cum pupillis, iusta animaduersio adhibeatur, vtpote & si in eo esset pupillus, vt ab hæreditate patris abstineretur, & tutor cum plerisque creditoribus fortè decidat, vt

certam

a Sceuo. apud Iulia. lib. 32. ff. in l. si pactus. ibidem.

b Paul. li. 4. ad edict. in l. tutoris quoque ff. de pact.

certam portionem accipiant, idemq; & curatores cum alijs faciăt, quæraturq; an & tutor ideq; creditor patris pupilli, eandem portionem remittere debeat? Respondere potest, eum tutorem qui cæteros ad portionem vocaret, eadem parte contentum esse debere.[a] Et de curatoribus similiter idem dici potest, vnde & si curator furiosi aut prodigi pactus sit, ne à furioso aut prodigo peteretur, longe vtile erit curatoris recipi pactiones: sed non econtra,[b] eadem ratione forte, qua de filijsfamilias, seruis, & tutoribus in præcedentibus dictum est. Et si quidem tutores & curatores exigentes pupillis & adultis debitum, non etiam remittentes, præstant obligationis liberationem, efficere nimirum debent, minorem quantitatem paciscentes, adultæ ætatis, tale suffragium ne noceat.[c] De magistris autem societatum quãdo communem negotiationem cum consocijs exercent ij, ac cõsensum obtinent ad hæc, sic & horum pactum pariter prodesse & obesse cõstat.[d] Inter socios verò ipsos, cùm quæreretur si vnus ex argentarijs socijs cum debitore pactus esset, an etiam alteri noceat exceptio? Nerat. Atilicinus & Proculus responderunt, nec si in rem pactus sit, alteri nocere: tantum enim constitutum est, vt solidum alter petere posit. idemq; & Labeo ait. Nam nec nouare aliũ posse, quamuis

[a] Scæuola lib. 2. respon. in l. cũ in eo. ff. eo.

[b] Caius lib. 1. ad edict. prouinc. in l. cõtra iuris. ver. si curator. ibidem.

[c] Diocl. & Maxim. aa. in l. pactũ curato. la iij. C. de pact.

[d] Vlpia. lib. 2. ad edictũ, in l. item magistri. ff. eod.

quamuis ei recte soluatur. [a] Quandoquidem sic distincta, ad cuiusq; proprium sint horum munia, vt prodesse adinuicem magis quàm obesse honestum visum fuerit. Procuratores verò cùm in ea sint vel muneris vel exercitij specie; vt aliorum negotia tractent, eaq; mandato generali ad omnes alicuius res, vel ad omne peculiũ, aut specifico ad vnam tantum, cuiusmodi ad actionem & eiusmodi, ita & pro differentijs sibi commissæ vel exhibitæ alioqui curæ, fiet, vt horum pacta dominis rerum mandantibus, pro quibus conuentũ est, prosint vel noceant. Si igitur procurator meus paciscatur, exceptio doli mali mihi proderit, vt Trebatio videtur, qui putat, sicut pactum procuratoris mihi nocet, ita & prodesse, quia & solui ei potest. Nam & nocere constat, siue ei mandatũ sit, vt pacisceretur, siue omnium rerum alicuius, procurator fuerit, vt & Puteolanus libro primo assessorum scribit, cui placuit eum rem etiam in iudicium deducere. [b] Velut pariter & si in rem suam datus sit procurator, quia loco domini habetur, & ideo seruandũ erit pactum conuentum. Quod si tantum ad actionem procurator factus sit, conuentio facta, domino non nocet, quia nec solui ei possit. [c] Relationes aliæ per factorum seu operum vicissitudines in communi hominum vel negotiationis tractatu in

a Pau.lib.3.ad edictũ, in l. si vnus.§.j.ff.co.

b Vlpia.lib.4. ad edictũ, in l. rescriptum. ff. co. cum l. seq.

c Paul.libr.4. ad edictũ in l. sed si tantum. ff.eod.

tu,introductæ sunt,cuiusmodi quæ in specie contractuum inter emptorem & venditorem, debitorem ac creditorem, reum & fideiussorem hæredem & bonorum possessorem, ac cęteros eiusmodi similes, variè interuenire possunt. in quibus pariter vt de præcedentibus inquiri potest, num si paciscatur eorum alter, cōuentio alij qui in eadē correlatione est,prosit vel noceat? prout in illis muneribus, negotiationes vicißim referunt sese. In contractu igitur emptionis & venditionis, quatenus relatio & vicißitudo nulla in personis est, vtpote ad potētiam vel statum, sed occasione ipsius cōtractus duntaxat,& quia emptor,quia venditor, non quia pater filius, Ioannes aut Petrus. Ideoq; & si pactum conuentum cum venditore factum,in rem constituatur venditam, secundum plurium sententiam. & emptori prodest, & hoc iure nos vti Pomponius scribit. Quanquam & secundum Sabini sententiam, etiam si in personam conceptum est, & in emptore validum hoc esse existimat: quod verum putauerim,si occasione eius rei quæ in emptorem translata est,pactum sit factum,quando si propter aliam, non vsq; quaq; locum habere existimarem. Idemq; volunt, & si per donationem succeßio facta sit.[a] Sic tamē vt dictum est, de persona, si propter rem vel in re quæ venit

a Pau.lib.5 ad edict.in l.si tibi decem.ff.de pact.

pactum

pactum ſit conceptum, vt ea ratione ſola proſit, qua rationes ſuas adinuicem communes habent. & qua emptor ſuccedit in re vel facto, in quibus ipſum pactum eſt conceptum ſi verò inter emptorem & venditorem conueniat alioqui variè de quibuſuis, illud nimirum ſeruare inter ipſos conueniet, quod ſecundũ naturam pacti, æquum ac rationabile fuerit. Vnde & ſi emptor prædij, viginti caueat ſe ſuo venditori ſoluturum, ac ſtipulanti ſpopondeat. Poſtea verò venditor caueat, ſibi conueniſſe, vt contentus eſſet xiiij. modo ea intra præfinita tempora acciperet. Idemq́; emptor debitor ad eorum ſolutionem conuentus pactus etiam eſt, ſi ea ſoluta intra præfinitum tempus non eſſent, vt ex prima ſua cautione ab eo petitio eſſet. cùm quæreretur, an cùm poſteriori pacto ſatisfactum non ſit, omne debitum ex prima cautione peti poſsit? Reſponſum eſt, ſecundum ea quæ proponerentur poſſe [a]. Quanquam hæc locum habeant, vbi ſinguli emptor videlicet & venditor paciſcuntur ex aduerſo pro ſe, non autem propter id, vt pactum alterius referatur ad alterũ: prout fit illis omnibus caſibus, quibus velut viciſsitudine quadam communionis, negotia & tractatus alterius in alterum ſe referunt, occaſione bonorũ communium vel muneris quod quis obit, velut in præcedentibus

a Scæuola lib. 1. digeſto. in l. emptor prædij. ibidem.

tibus dictum est. Quod si referant nomine aliqui vel appellatione, causæ attamen singulorum distinctæ sint, sic vt præter eam relationem, nihil in communi habeât, ad quod vicissitudo seu conuentio ipsa se referat, in personam vel rem seu factum alterius, tunc nec pacta ipsa nec conuentiones communes esse dicere, consentaneum est, sed diuisa magis, prout res & munia ab inuicem distincta sunt, velut in debitore & creditore, in eo quod studet quisq; proprijs magis. vnde fit propterea vt debitorum pactionibus, creditorũ petitio, nec tolli nec mutari possit.[a] Quemadmodum nec pactum successorum debitoris, ex lege xij. tabularum, ad æs alienum hæreditarium proportionibus quæsitum singulis cohæredibus, ipsoq; iure diuisum: insolidum vnum obligare creditori nequaquam potest. quod & in succedentibus iure honorario, locum etiam habet: quanquam de chirographis siue instrumentis cõmunibus exhibendis cohæredem (vel non perfectis etiam in diuisione placitis) conuenire, quanti sua intererit, possit[b] habeât quando vt suam rationem singula, expediens esse videatur, adeò vt in præcedentibus dictum est, prodesse suis pactionibus alijs per huiusmodi communicationes licere, obesse autem nequaquam: vtpote cùm sic occasio sumi posset ad iniurias &

damna

a Diocl. & Maxim. aa. Euhemero. in l. debitorum. C. de pact.

b Iidem aa. cc. Corneliæ. in l. pacto successorum. C. eod.

damna magis ac incommoda varia, quàm vt ſuo munere alij alijs præſidio eſſent, prout & ad hoc induĉta eſſe debent. quare nec ſi venditor nec procurator ſeu cæteri de quibus egimus ita conuenirent, vt de debitore dicimus, nec in hoc ferendi eſſent, ne quis ita in genere de illis diĉtum eſſe exiſtimet, vt indifferenter ad omnia paĉta trahi putent: quin magis cenſeamus vbique & conuentiones omnes ad æquitatē & iuris rationem æſtimandas eſſe. In reis verò & fideiuſſoribus (vt proſequamur reliqua) ratio alia & aliud ius eſſe poteſt, quàm in debitore & creditore diĉtum fuerit, quandoquidem notum eſt fideiuſſoris munus ad hoc in vſu eſſe, vt pro debitoribus vel pro reis interueniant, qui quidem cùm illorum vices in obligationibus ſubeāt, ita vt per eoſdem liberentur conſentaneum viſum eſt: ex quo fit propterea, vt debitoris conuentio fideiuſſoribus proficiat, quādocunq; in rem paĉtum eſt conceptum. Si verò in perſonam, vtpote ſi ſic eſt aĉtum, vt duntaxat à reo non petatur, à fideiuſſore autem petatur, tunc enim fideiuſſor exceptione non vtetur.[a] Econtra verò fideiuſſoris conuentio, reo nihil proderit, quia diuerſa ratio in hoc eſt, vtpote cùm nihil eius interſit à debitore pecuniam non peti, imò nec confideiuſſoribus proderit. neq; enim quoquo modo cuiuſque

a Vlpia. lib. 53. ad ediĉtū, in l. niſi hoc. ff. de paĉt.

intereſt, cùm alio conuentio facta, alij prodeſt, ſed tum demum, cùm per eum cui exceptio datur, principaliter ei qui pactus eſt proficiat: ſicut in reo promittendi, & in his qui pro eo obligati ſunt.[a] Quod ſi fideiuſſor in rem ſuam ſpoponderit, hoc caſu fideiuſſor pro reo accipiendus eſt, & pactum cum eo factum, cum reo factum eſſe videtur. Idem & in duobus reis promittendi, & duobus argentarijs ſocijs obſeruatur. Quamuis tamen fideiuſſoris pactum reo non proſit, plerunq; tamen doli exceptionem reo profuturam Iulianus ſcribit, videlicet ſi hoc actum eſt, ne à reo quoq; petatur. Idem & in confideiuſſoribus iuris eſt.[b] Quatenus autem ad commodum pactionum, quæ in communi referuntur ad vtrũq; reum videlicet & fideiuſſorẽ, ſiquidem cum reo ad certum tẽpus pactio facta ſit, vltra illud tempus, neq; reo neque fideiuſſori proderit, vbi ad tempus ipſum limitatio eſt appoſita. Quòd ſi ſine perſona ſua reus pepigerit, ne à fideiuſſore petatur, nihil id prodeſſe fideiuſſori quidam putant: quanquam id rei interſit. quòd ea demum ei debeat competere exceptio, quæ & reo. Paulo tamẽ probatur, prodeſſe fideiuſſori exceptionem, nec tam illi per liberam perſonam acquiri, quàm ipſi qui pactus ſit conſuli videtur. quo iure nos vti dicit.[c] Ad illud verò quod dictum eſt, ſi cum

a Pau. lib. 3. ad edictũ, in l. fideiuſſoris. ibi. Idem ibidem. lib. 3. ad Plau.

b Vlpia. lib. 4. ad edictũ, in l. videlicet. ff. c.

c Pau. lib. 3. ad edictũ, in l. ſi vnus. §. ſi cum reo. ibidem.

si cum reo pactum sit, vt non petatur, fideiussori quoq; competere exceptionem, propter rei personam dictum esse placuit, ne mandati iudicio conueniatur. Igitur si mādati actio nulla sit (forte si donandi animo fideiusserit) dicendum est non prodesse exceptionem fideiussori.[a] quasi propter dōnādi animum, ex fideiussore effectus ipse sit reus, vt in præcedentibus est visum, ac principalis debitor per consequens, à quo nimirum debitum exigere conueniat. Quantum autem ad creditores vel debitores in genere, vtpote ad illos qui eiusdem pecuniæ exactionem habent in solidum, vel qui eiusdem pecuniæ debitores sunt, si quæratur quatenus alij prosit vel noceat exceptio. Regula est, quòd in rem pacta omnibus prosint, quorum obligationem dissolutam esse, eius qui paciscebatur interfuit.[b] quandoquidem in talibus solutio & dissolutio omnis seu liberatio, ex conuentione in rem concepta pendeat, non aliunde. Cùm tamen ante omnia animaduertēdum est in his, ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona similiter, in alia re, alij'ue personæ noceat.[c] absurdum siquidem id esset & elusorium, ab alijs in alios, cōuentionum commoda & incommoda, tali modo trahere. Vnde & si probatum fuerit, creditores aliquos ex parte debiti totius, debitorem admisisse, alte-

a Pau. lib. 3. ad Plancium. in l. quod dictum. ff. eod.

b Pau. lib. 3 ad edictū, in l. & hæredi. §. fi. ff. de pact.

c Idem libr. 3. ad edict. in l. si vn°. §. ante omnia. ibidem.

rum pro ſua perſona vel portione ſoluentem, aditus Rector prouinciæ pro ſua grauitate prouidebit, ne alter debitor pro altero exigatur.[a] Et obtinent quidem diſpoſita in præcedētibus, vt pactum cum altero factum, profit vel noceat alijs, vel econtra vt non profit nec noceat interdum, vbi ſinguli pro ſingulis conuenerint. Quòd ſi multi ſint velut ad vnam negotiationem creditores, tutores, ſocij & eiuſmodi, in his reſcriptum diui Marci ſic loquitur, quaſi omnes creditores debeant cōuenire. Quid ergo ſi quidam eorum abſentes ſint, num exemplum præſentium abſentes ſequi debeant? Sed & an priuilegiarij abſentibus, huiuſmodi pactio noceat, eleganter tractatur (ſi modo valet pactio & contra abſentes) & repertum eſt ante formam à diuo Marco datam, diuum Pium reſcripſiſſe, fiſcum quoque in his caſibus, in quibus hypothecas non habeat, & cæteros priuilegiarios exemplum creditorum præſentium ſequi oportere: & hæc omnia in his creditoribus qui hypothecas non habent, conſeruanda eſſe.[b] Si verò & obfutura ſit conuentio vel damnoſa, vtpote ſi de remittenda parte debiti cum filiofamiliâs; cum pupillo vel alio agatur, & propterea diſſentiant inter ſe qui paciſci debent creditores, hodie ita demum huiuſmodi pactio creditoribus oberit, ſi conuenerint

a Diocl. & Maximia. Iulio & Aemilio. in l. ſi creditores. C. de pact.

b Vlpia. lib. 4. ad edict. in l. reſcriptum. §. j. ff. eod.

rint in vnum, & communi consensu declarauerint, quota parte debiti contenti sint: si verò dissentiant, tum prætoris partes necessariæ erunt, qui decreto suo sequetur maioris partis voluntatem. [a] Et maiorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum placuit. Quòd si æquales sint in cumulo debiti, tunc plurium creditorum numerus præferendus est. In numero autem pari creditorum, autoritatem eius sequetur prætor, qui dignitate inter eos præcellit. Sin autem omnia vndiq; in vnam æqualitatem concurrant, humanior est sententia à prætore eligenda. Hoc enim ex diui Marci rescripto colligi potest. [b] Ita tamen si de consequenda parte bonorum à debitoribus per creditores agatur, idq; pacti creditores sint (licet ab extraneo) ratio prius habeatur necessariarum personarum, si idoneæ partem bonorum consequi & debitum præstare sint, prout Imperator Antoninus Auidio Cassio rescripsit. [a] Quatenus autem ad pactiones seu conuentiones reliquas, quas singuli pro se obeunt, ac suis tractationibus dum cōtrahunt, interponunt, si quidem honestæ & iustæ sint, nec repugnent legum decretis, prout etiam de talibus in præcedentibus egimus, nihil impedimento erit, quominus liberè liceat eisdem, ad sua commoda prospicere. Vnde fit vt si quis crediderit

a Marcel. libr. 18. digest. in l. & suum hæredem. in fi. ibi.

b Papi. lib. 10. responso. in l. maiorē. ff. de pact.

c Papirius Iustus lib. 8. constitutionū. in l. Imperator. ff. eod.

diderit pecuniam, & pactus sit, vt quatenus facere posit debitor, eatenus agat. tale pactum validum erit. Neq; enim improbandum est, si quis hactenus desideret conueniri, quatenus facultates eius patiuntur.[a] similiter & si pactum inter hæredem & legatarium fiat, ne ab hærede satis accipiatur (& cum in semestribus relata esset constitutio diui Marci, seruari in hoc quoq; defuncti voluntatem) validum esse constat. nec à legatario remissa hæredi satisdatio per pactionem, ex pœnitentia reuocari debet. Cùm liceat sui iuris persecutionem, aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere.[b] Velut pariter & si filij testamēto hæredes scripti, rogati essent, vt qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem hæreditatis restitueret, si quidē præcaria substitutio prædicta, fratrum consensu seu conuentione remittatur, fideicommissi persecutio cessabit.[c] Exemplo prædictorum quibus & per pactū licuit pro arbitrio, de suo iure aliquid diminuere, seu ab eodem recedere in totum. velut & suam cōditionem meliorem facere omnibus per hæc permissum est. Verum & cum in præcedentibus dictum sit ex edicto prætoris, pacta & conuentiones ad hoc constitutas, vt vicissim etiam prout conuenit, ac iustum & rationabile est, inter homines, pro fide mutua obseruentur.

a Vlpia. lib. 3. ad Sabi. in l. si quis crediderit. ibid.

b Tripho. lib. 2. disputa. in l. pactum inter. ff. eod.

c Diocl. & Maximi. aa. Diaphanto. in l. cū proponas. la j. C. de pact.

uentur.Habeátq; velut in religione præcipuam hanc aliqui,multi verò & bona hominum pars, his nisi coacta pareat, vbi in præiudicium vel damnum aliquod cessura sunt,propter quod nimirum, cùm ad rectam huius partis dispositionem intendere & in id æquum fuerit, ne ex rupta vel inobseruata fide, aliter quàm in lege pacti dictum est,subinde multi iniuriam & damna patiantur, his qui pactis parent obmißis, velut policitam fidem & legem conuentionis custodientes,nulla coërtione opus habeant,post præmißas pactorum qualitates varias, qualiter cogendi sint, qui in eo quod semel conuenit stare recusant,opportunum iam ac conueniens nostro ordini fuerit subiungere.Manifestum est igitur, in contractibus bonæ fidei seu inter contrahendum,conuentiones vt plurimum fieri (vt etiam dicimus in præcedentibus,) & extra contractus prædictos aliquas, & licet occasione cõtractuum prædictorum, actiones quædã introductæ sunt, & suæ singulis, velut empti actio, venditi,locati conducti & eiusmodi, ac propriæ & communes alijs. Sunt etiam & propter pactum ipsum conuentum in eisdem, aliæ, vt aliquid videlicet aliquo modo, & vt cõuenit fiat ac obseruetur:quæ quidẽ actio,singularis & propria in vsu est, propter solum pactum, vel ad ipsam cõuentionem

ſtabiliendam ac retinēdam in obſeruatione ſua, quanquam differēter & gradu vario id, pro conuentionis modo ac forma pacti varia: quandoquidem quatenus ad firmitatem ſeu ſtabilimentum eorundem attinet, vel vim quomodouis, aliqua ſic fiant, vt vltra ſimplicem illam & puram conceptionem verborum, quæ ad pactum informandum in vſu eſt, (pollicitationem vel obſeruationem aliquam in ſe pro data fide continens) adduntur & alia ad arctius velut vinculum, quæ vim ſtipulationis obtinent, ita vt & pactum & obligatio inſit ad pacti obſeruationem pro vno & eodē effectu ſimul iuncta. Cuiuſmodi eſt, quod ferè in nouiſsima parte pactorum ita ſolet inſeri, rogauit Titius, ſpopondit Mæuius, quæ quidem verba, non tantum pactionis loco accipiuntur, ſed etiam ſtipulationis, ideoq; & ex ſtipulatu naſcitur actio in talibus, niſi ſpecialiter contrarium probetur, quod non animo ſtipulantium hoc factum eſt, ſed paciſcentium duntaxat.[a] Petens igitur ex ſtipulatione, quæ placiti ſeruandi cauſa ſecuta eſt, ſeu anteceſsit pactum, ſeu poſt pactum ſtatim interpoſita ſit, rectè ſecundum ſe ferri ſententiam poſtulabit[b]. Quòd ſi & vlterius adhuc proponatur, pacto pœnam aduerſarium promiſiſſe, ſi placito non ſtetiſſet, & ad id ſtipulationem ſubiectam eſſe. Ex ſtipul

a Vlpia. lib. 4. ad edictū, in l. iuriſgentiū. §. quod ferè. ff. e.

b Diocl. & Maximi. Aurelio in l. petens. C. de pact.

ſtipulatu agens, vel id quod in conuentionem deuenerat, vt fiat conſequetur: vel pœnam ſtipulatione comprehenſam more iudiciorum exiget. alioqui enim bona aduerſarij ſui in ſe transferri citra ſolennem ordinem: fruſtra quis deprecaretur. [a] Ideoq; & cùm pacto ſubiecta eſſet pœnæ ſtipulatio, quæreretur autem, vtrum pacti exceptio locū haberet, an ex ſtipulatu actio? Sabinus putauit (quod eſt verius) vtraq; via vti poſſe, prout elegerit qui ſtipulatus eſt. Si tamen ex cauſa pacti exceptione vtatur, æquum eſſe accepto eum ſtipulationem ferre. [b] propter pœnam quæ in ſtipulationem deducta erat, ſi pacto non ſtaretur. idq; in reo, intelligendum eſt, ſtipulante pœnam, ſi ex pacto ad debitum ageretur, qui ſi ſtipulatione ad exceptionem pacti vtatur, deſinet ſtipulatio ad pœnam ipſam, vt dictum eſt. Ita tamen vt in prædictis iuſta obligationis ratio intelligatur, non excedens vltra ſummam veri debiti, vnde & ſi quis alicui decē milia det, & paciſcatur vt ſibi quindecim vel viginti milia debeantur, non naſcetur obligatio vltra decem milia: quandoquidem re non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum eſt. [c] abſurdum enim & abuſiuum reputari poſſet alioqui, ſi propter ſtipulationem vel pactum, ſumma debiti aſcenderet, ad duplum eius quod datum eſ-

E 5 ſet.

a Gordian. a Cælio militi. in l. ſi pacto. C. eod.

b Vlpia. lib. 4. ad edictū, in l. reſcriptum. §. ſi pacto. ff. eo.

c Pau. lib. 3. ad edict. in l. ſi tibi decem. §. j. ff. eod.

ſet, ac obligatio & actio daretur talium. Cæterùm redeuntes ad actiones rurſus prout dictum eſt pactis quibuſdam, vltra conuentionis fidem ad maius robur ſtipulationes accedere interdũ, cum pœna & ſine pœna; in quibus vtraque via agi poteſt, ex pacto videlicet & ex ſtipulatione, ita exiſtimandum eſt, pacta alia ſimpliciora poſſe fieri, in quibus nulla ſtipulatio interueniat, præbens eiſdem aliquod adiumentum: obmiſsis igitur pactis inualidis, ac omnino inutilibus, quæ cùm nullius ſint momenti, nullá etiam perſecutionem habent in iudicio vel extra; velut nec illa pariter, quibus pro lege pacti ſeu iuxta policita ſatiſfactum re ipſá eſt: de validis illis hoc loco intelligimus, de quibus inter contrahendum conuenit, non tamen iuxta conuentionem ſatisfactum eſt pollicitis, quæ non propter id duntaxat quod pacta ſunt, & conuentionem ſeu obſeruationem aliquam in ſe continent ſimplicem, actionem de ſe producunt; ſed propter id magis, quia interpoſita contractibus vel factis varijs, illam de ſua natura conformitatem exhibent facto ſeu contractui cui adiuncta ſunt, vt illud vno vel altero modo varient, ſic aut ſic efficiendum cõſtituant, ex quo etiam pro ſuo munere obligationẽ ad pollicitam obſeruationem nanciſcuntur: nec citra rationem id, ſiquidem

nihil

nihil impediat vel vrgeat etiam contrahentes
prædictos, ſimpliciter & purè transferre res ſuo
tempore,citra conuentionem aliquam,& conue
nire pariter,vt ſic vel ſic tradantur,vel vt ex tali
traditione,tale quid fiat: in quibus ſi contractus
ipſi rati & validi pro diſpoſitione legis manent,
quare non etiam iuſtum fuerat, vt pacta in eiſ-
dem inita rata ac valida iudicarētur:prout econ
tra. Ita vt recuſante altero ſtare his quæ conuen
ta eſſent,poſſet alter aduerſus eum,actionem ad
compellendum intentare. Vbi maximè fieri &
non fieri inter contrahendum, pro voluntate &
arbitrio contrahentium pacta poſſunt,quando-
quidem omnino neceſſarium nō eſt, per omnes
contractus paciſci, ſed vbi tantum res & occaſio
ſeſe exhibent ad id commoda. Dictum eſt itaq;
in præcedentibus conuentiones quæ actiones pa
riunt,in ſuo nomine nō ſtare,ſed tranſire in pro-
prium nomen contractus, velut in emptionem
venditionem,locationem,conductionem, ſocie-
tatem,commodatum, depoſitum, & cæteros ſi-
miles contractus: quaſi pacta quæ in prædictis
fiunt, vigorem ac potentiam talem aſſumant ab
illis, vt ſufficiant ad actionem producendam,in-
teruentu negotij vel tractationis, de quibus in
illis agitur. Quòd & ſi in alium contractum res
non tranſeat,ſubſit tamē cauſa,eleganter Ariſto

Celſo

Celso respondit inesse obligationem ad pactum. vtputa si dedi tibi rem, vt mihi aliam des, dedi vt aliquid facias, hoc enim συνάλλαγμα esse & hinc nasci ciuilem actionem. Ideoq; putauit Vlpianus rectè Iulianum à Martiano reprehēsum in hoc, dedi tibi Stichum vt Pamphilum manumittas, manumisisti, euictus est Stichus, Iulianus scribit in factum actionem dandam à prætore. Ille ait ciuilem incertam actionem præscriptis verbis sufficere. Esse enim cōtractum, quod Aristo synallagma, idest permutationem dicit, vnde hæc nascitur actio.[a] Obseruandum tamen in pactis prædictis illud est, vt cum soleat dici pacta conuenta inesse bonæ fidei iudicijs, quòd illud sic accipiatur, vt si quidem ex continenti pacta subsecuta sunt, quanquam sint nuda pacta etiam ex parte actoris insint: si verò ex interuallo non inerunt, nec valebunt, si agatur: ne ex pacto actio nascatur. Ideoq; responsum est à Papiniano, si post emptionē ex interuallo, aliquid extra naturā contractus conueniat, ob hanc caussam agi ex empto non posse propter illam regulam, ne ex pacto actio nascatur, quod & in omnibus bonæ fidei iudicijs erit dicendum: quanquam ex parte rei locum habebit pactum. cùm soleant ea pacta quæ postea interponuntur exceptiones parere prout dicemus in sequentibus latius.

[a] Vlpia. lib. 4. ad edictū, in l. iurisgentium. §. j.

latius. Similiter & ſi poſt diuortium conueniat ne tẽpore ſtatuto dilationis in datione dotis, dos reddatur, ſed ſtatim hoc non valebit pariter. ne ex pacto ſolo actio naſcatur. Idem Marcellus ſcribit, etiam ſi in tutelæ actione conueniat, vt maiores quàm ſtatutæ ſunt per primam conuentionem vſuræ, præſtentur, locum non habebit tale pactum. ne ex pacto ipſo actio naſcatur vt eſt dictum. Cùm maximè pacta illa ſint quæ legem cõtractui dant, quæ in ingreſſu contractus ſunt facta, non autem quæ poſt finitos illos, vel quæ ex interuallo fiunt [a] & prędicta intelligere oportet in pactis illis quæ fiunt poſt contractus vel ex interuallo, quæ ſunt extra naturam contractus ſuper quo paciſcitur, prout in exemplis prædictis: quòd ſi ex eodem ſint contractu, in bonæ fidei iudicijs, conuentiones poſtea factæ adeò inſunt, vt conſtet in emptione cæteriſq; bonæ fidei iudicijs, re nondum ſecuta, poſſe abiri ab emptione in totum, & ſic mutari pariter pactione pro parte negotio nondum finito vel re nondum tradita interueniente conſenſu vtriuſque contrahentis. [b] Experiri porrò ipſum formis vel agendi in iudicio modis ſupradictis, cum poſſit eſſe multiplex ac varium etiam occaſione perſonarum agentium in numero videlicet, & alias plures eſſe numero pro ratione negotiorum varia,

a Vlpia. lib. 4. ad edictũ, in l. iuriſgentiũ. §. quinimo. ff. c.

b Idem ibidẽ. §. adeo.

ria,qui ad vnam actionem cōcurrant,interdum autem contingat,vnicum ex multis factis,habere plures actiones aduersus vnum vel duos socios & cætera. propter quæ & questio esse posset,qualiter agendū esset modis prædictis. Quòd verò singuli creditores aduersus singulos debitores agant, dubitationem non habet,cum ordinarium hoc sit, ac res, & negotium ipsum indicent sese, ita efficiendum, quod alio modo effici non potest. Plures igitur vbi erunt,qui vnam & eandem habeant actionem, ijdem vnius loco habebuntur,vtputa,si plures sint rei stipulandi,vel plures argentarij ,quorum nomina simul facta sunt,vnius loco numerabuntur, quia vnum debitum est. Similiter & cùm tutores (vnius pupilli creditoris) plures conueniunt, vnius loco numerantur,quia vnius pupilli nomine cōueniunt. Econtra pariter,& si vnus tutor plurium pupillorum nomine, vnum debitum prætēdentium, conuenerit, placuit vnius loco esse. quandoquidem difficile erat,vt vnus homo,duorum vicem sustineret. Quòd si vice versa, pluralitas non ad personas creditorum vel debitorum referatur, sed ad actiones ipsas, nec is etiā qui plures actiones habet,aduersus eum qui vnam,plurium personarum loco accipitur: vnde & cumulum debiti ad plures summas referemus: vtpote, si vni fortè

forte multæ summæ centum aureorum debean tur, alij verò vna summa aureorũ quinquaginta, spectabimus in hũc casum summas plures, quantum illæ excedunt in vnam summam coadunatæ, cui summæ applicari possunt etiam vsuræ. Ita quicquid est in vnum cumulum collectum, vnam summam, vnum debitum, & vnam actionem ex multis efficiet.[a] Multi verò duo tres vel quatuor creditores socij, si post diuisionem bonorum & æris alieni, singuli à singulis hæredibus, non interpositis delegationibus in solidum vt conuenerat, vsuras acceptauerunt: si non singuli pro fide rei gestæ, totum debitum singulis offerant, actiones quas aduersus omnes pro partibus habent, impediendæ non erunt.[b] Ita vt suum ius ratum ac validum vnicuiq; maneat, & sua debita portio singulis. Competentibus ergo vt dictum est, propter conuentiones & pacta actionibus prædictis, liberum esse potest quibusuis, aduersus illos qui se fallunt, fidem ruptam vendicare, ita vt actione sua per singulas contractuum species, pollicitis per pacta stare cogant. vsq; dum dictæ in cõuentione legi, ad integrum paritum & obtemperatum fuerit. Et quanquam modi quidam introducti sint, ad finiendas seu tollendas actiones prædictas, cuiusmodi per pactum tollitur ipso iure actio iniuriarum, item furti

a Paul. lib. 62. ad edictũ, in l. si plures. ff. de pact.

b Papin. lib. 5. respon. in l tale pactum. §. post diuisionem. ff. eod.

furti & tollatur pariter per exceptionem actio, quotiescunq; pactum factum est ne petatur, per diuisionem bonorum communium, per solutionem, acceptilationem & eiusmodi, quibus modis actionem habēs vel ius ad illam tunc desinit posse agere, quasi finitum in illis sit negotium omne, si tamen non integrè finita sint, sed imperfectè magis, aut per fraudem & dolum, non eo minus competet actori actio, ad proprij iuris ex hoc capite persecutionem. cuiusmodi si proponatur, tres fratres Titiū & Mæuium & Seiam, communem hæreditatem inter se diuisisse, instrumentis etiam interpositis, quibus diuisisse maternam hæreditatē dixerunt, nihilq; sibi commune remāsisse cauerunt. Cùm verò postea duo de fratribus videlicet Mæuius & Seia (qui absentes erāt tēpore mortis matris suæ) cognouerūt pecuniam aureā à fratre suo esse subtractam, cum eius nulla mentio in instrumento diuisionis contineretur, quærereturq; propterea, an post pactum diuisionis de subtracta pecunia, fratribus aduersus fratrem competeret actio? Modestinus respondit competere. Quòd si agentibus his ad portionem eius quod surreptum à Titio dicebatur, generalis pacti conuenti exceptio (ad ea quæ per fraudem à Titio commissam ignorantes transegerunt) obijciatur, de dolo vtiliter replicari

plicari poterunt.[a] Idemq; & alio exemplo patefit ac demonstratur, quod ita habet. Lucius Titius, Caium Seium mensularium, siue numularium, cum quo rationem implicitam habebat, propter accepta & data debitorē sibi constituit, & ab eo epistolam accepit in hæc verba. Ex ratione mensæ quam mecū habuisti, vsq; in hunc diē, ex contractibus plurimis, remanserunt apud me ad mensam meam ccclxxxvj. & vsuræ quæ competierunt summam aureorum, quam apud me tacitam habes, refundam tibi. Si quod instrumentum à te emissum (id est scriptum) cuiuscunque summæ, ex quacunq; causa apud me remansit, vanum & pro cancellato habebitur: quæsitum est, cùm Lucius Titius ante hoc chirographum Seio mensulario mandauerat, vt patrono eius trecenta redderet, an propter illa verba epistolæ, quibus omnes cautiones ex quocunq; contractu vanæ & pro cancellatis vt haberētur, cautum est, neq; ipse neq; filius eius eo nomine conueniri posit? Respondit Scæuola si tantum ratio accepti atq; expensi esset computata, cæteras obligationes manere in sua causa.[b] Neq; illum pariter cui ius competit ad actionem, ad eam intentandam impediet, quod is contra quem agere debet aduersus se, per conuentionem experiri non posit: velut si conuenerit fortè ne domi-

a Modesti. lib. 5. respon. in l. tres fratres. ff. de pact.

b Scæuo. libr. 1. digesto. in l. emptor. §. Lucius. ff. eod.

nus, à colono quid petat; & iusta causa conuentionis fuerit. nihilominus tamen colonus à domino petere poterit. [a] Et sicut conuentionibus prædictis quæ deuiant à recta liberationis via vel forma, actio ab eo qui ius persequēdi habet, non perimitur; quo minus contra suum expromissorem de integro agere possit, ita nec vbi per errorem fient pacta, aut erronea alioqui erit debiti liberatio, inefficax & nullius momenti, ad debiti liberationem succedet, nec actionem perimet: vnde & si cum aliquis debere se debitori suo, ex causa legati existimaret, pactusq; sit propterea, ne ab eo sibi debitum peteret, quasi compensaturus debitū pro debito, ex hoc pacto neq; iure ipso liberabitur debitor, neque creditorem petentē summouebit exceptione conuentionis, vt Celsus lib. xx. scribit. Idem eodem loco scribit, si debitorem tuum iussisti soluere Titio, cui legatum falsò debere existimabas, & debitor pactus sit cum Titio suo debitore constituto, neq; tibi aduersus tuum debitorem, neq; ipsi aduersus suum, actionem peremptam esse. [b] Et de pactis producentibus propter adiunctū presidium, (stipulationis videlicet vel quia cōtractibus inhærent, vel causam aliquam ad obligationem continent) actionem, satis hactenus in præcedentibus dictum sit, cùm tamen & vltra prædicta, sint

[a] Iulia. li. 6. ad Minutium. in l. si cōuenerit. ibidem.

[b] Vlpia. li. 26. ad edict. in l si cū te. ff. de pac.

ſint & alia ſimpliciora pacta adhuc citra ſtipulationem, vel cauſam aliquam ſatis ad obligationem validam, ſeu ſufficientem, facta vel inita extra omnem contractum, propter quæ non immeritò, ex eo quod citra omnem mixtionem fiunt, nuda pacta appellata ſunt: quaſi dixeris, ſimplicem ac puram ſpõſionem, vel fidei dationem aut pollicitationem ad aliquid obſeruandum: de cuius effectibus & vi, pro ſua proportione ſi inquirendum eſt, quo pateat etiam cuius efficaciæ ſit & hæc ſpecies, vel quid operetur, ſi quidem iuſtum non videbatur aut conſentaneum, ita annullare ſponſiones has ſimplices, ſeu verba etiam quæ puræ vel ſimplicis pollicitationis vim haberent (quæ etiam principium & viam exhibent ad cæteras ſolidiores) vt nullius omnino inter negotiantes futura eſſent momenti, nec illis tantũ tribuere pariter, vt cæteris quæ ſtipulationes & cauſam habent, ad producendam actionem æquarentur: ad retinendum & exequendum proprium vigorem, his datum eſt, vt in venientes aduerſus ſimplicem & nudam ſuam conuentionem, proponeretur pacti conuenti exceptio, pro obſeruatione eius quod conuenit, propter quod dictum eſt, cum nulla ſubeſt cauſa præter conuentionem, hic conſtat non poſſe conſtitui obligationem. Igitur nuda pactio,

a Vlpia.lib.4. ad edictū, in l. iurisgentiū. §. sed cum nulla. ff.eod.

b Papi.libr.15. respon. in l. si intra.ff.eod.

c Diocl.& Maximi.aa. Martiali. in l. traditionib.C.de pact.

d Hermogeni. lib.2.iuris epitoma.in l.diuisionis.ff. de pactis.

e Diocl.& Maxim. aa. Eusebio. in l. cum proponas.la ij. C.de pact.

obligationem nō parit, sed parit exceptionem[a] velut si quis citra stipulationē, & extra omnem formam cōtractus, ita suo debitori dicat, Si intra illum diem, debiti partē mihi solueris, acceptum tibi residuum feram, & te liberabo, cum debitor hic actionem ex tali conuentione non habeat, pacti tamen exceptionem eidem competere constat.[b] Ideoque traditionibus & vsucapionibus transferuntur dominia rerum, non autem nudis pactis, vel simplici conuentione.[c] Quemadmodum & diuisionis placitum, quod nisi traditione vel stipulatione sumat effectum, ad actionem; tanquam nudum pactum, nulli prodesse poterit.[d] Vnde & cùm propositum fuerit aliquando inter aliquos placuisse, vt fratrum suorum successiones, æquis ex partibus diuiderent, & transactionis causa, probare posse hos, hanc intercessisse conuentionem. Responsum est, exceptione se tueri posse petentem si possidet: quòd si aduersarius eius teneat, ex tali placito, nullā actionem natam esse, si sibi stipulatione non prospexit. Aduersario attamen transactione vti concedi non debere, nisi ea quæ placita sunt, adimplere paratus sit.[e] Eiusdem cum nudis prædictis potentiæ sunt, & pacta illa quæ in bonæ fidei contractibus, post absolutum contractum, postea interponuntur, quæ stipulatione & coherentia

tia contractus destituta, cùm præter verbalem & eam simplicem sponsionem, nihil habeant, nec causam etiam vllam ad obligationem, ad actionem per consequens inefficacia vt illa sunt, actionẽ producere, propter quod sola exceptione proprium vigorem retinebunt, ac tuebuntur sese. & de his parte pręcedenti aliquot exemplis actum est. Cùm igitur ex pacto ipso, pro illius compositione vel qualitate videlicet, fiat, vt hæc non vltra exceptionem procedant, exceptio verò actioni contraria, actionem impediat magis, quàm illam ad suum effectum inducat in totum aut pro parte, iuxta conuentionis formam, nimirum & si quæ pacta nulla sunt aut inualida, illa etiam in suo gradu & qualitate nullitatis & inualiditatis videlicet ad actionem ipsam retineat, cuiusmodi si quæ turpiter, aut per dolum inita fuerint, ideoq; & cum petitio eius quod solutum est, dolum in se cõtineat, exceptione doli se tuebitur qui soluit. Quare si creditori tuo partem pecuniæ debitæ exsoluisti, de parte verò non petenda inter te & ipsum conuenit, ob causas negotiaq; eius tuo patrocinio fideiq; defensas, ea obligatione partim ciuili iure, partim honorario liberatus eris. vtpote per solutionem, & per pactum de non petendo. Et sic exceptio perpetua pacti cõuenti vel doli, residui petitionem

repellit: cùm & solutum etiam per ignorantiam repeti potuisset.[a] Idemq; tractari potest, & in cohærede aliquo, qui occasione pacti, suis fratribus, maiorem sibi portionem per dolum vsus paret, velut cùm aliquis pater dotem promittens pactus esset, vt post mortem suam in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud hæredem suum, & filiæ prædictæ fratrem remaneret: quòd si idem socer liberos alios postea susciperet, & hæredes testamento relinqueret, licet illo tempore, quo pater alios filios non habuit, in fratrem vnicum iudiciũ supremum contulisse videatur, cùm tamen inter contrahentes id actum sit, vt hæredibus consuleretur, cæteris exceptio doli proderit, aduersus hunc, si se prædicto pacto ad propriam vtilitatem iuuare procuret.[b] Quod cum plerunq; dici soleat, doli exceptionem, subsidium esse pacti exceptionis, quidam denique qui pacti exceptione vti non possunt, doli exceptione vti poterunt: vt Iulianus scribit, & alij pleriq; consentiunt: vtputa si procurator meus paciscatur, exceptio doli mali mihi proderit: vt Trebatio videtur, qui putat sicuti pactum procuratoris mihi nocet, ita & prodesse, quia & solui ei potest.[c] Et sicut si in rem pactus sit seruus, proderit domino & hędi eius, pacti conuenti exceptio, prout in præcedentibus visum

a Antonius a. de maiore. in l. creditori. C. de pact.

b Papi. li. 5. respon. in l. tale pactum. §. pater qui. ff. eod.

c Vlpia. lib. 4. ad edictũ, in l. rescriptũ. §. plerunq;. ibidem.

visum est. Ita & si in personam serui pactum sit conceptum, tunc domino, doli supererit exceptio. [a] Imò & in seruo doli exceptio non est respuenda. & licet Marcellus antea dubitauerit in similibus speciebus, tamen admittit, vt etiam si filiusfamiliâs hæres institutus, pactus est cũ creditoribus, & emancipatus adijt hæreditatem, & dicit doli eum vti exceptione posse, vtpote si paciscendo forte circunuentus fuerit. Idem probat, & si filius viuo patre cum creditoribus paternis pactus sit. Nam & huic doli exceptionem profuturam dicit. [b] Exceptionũ item prædictarum species alia est, & posterior, quæ ad conuentionis legem competit, seu pro modo eius quod in pactionem est introductum, vt si quid videlicet inter contrahẽdum, per pactum sit exceptum, exceptione pacti conuenti, similiter ratum ac validum maneat: & si quid vltra vel aliter quàm conuenit exigatur, vel petat alius ab alio, per exceptionẽ pacti tueatur ac protegat sese, qui eam habet. In venditionibus igitur & contractibus cæteris, certum est, quid alter ex cõtrahentibus, & quid vẽditor præstare debeat, quidq; ex contrario emptor, quòd si in contrahendo, aliquid exceptum fuerit, id seruari debebit, [c] Ad illa verò quæ aliter quàm conuenit peti possent, impedit exceptio, ne vltra dictã in pacto legem exigi debeat,

a Pau. lib. 3. ad edictũ, in l. & hæredi. §. qđ si seruus. ff. de pact.

b Marcel. libr. 18. digest. in l. & suum hæredem. §. j. ibid.

c Paul. libr. 5. quæstio. l. in emptionib. ff. de pact.

debeat, aut poſsit, & alias occaſione debiti vel ſummæ de qua inter contrahendum conuenit, vtpote ſi cùm viginti quis deberet, & pepigerit ne decem petantur, efficiet per exceptionem creditori opponendam, vt tantum reliqua decem exigere creditor debeat. [a] Quòd ſi & cùm quis decem deberet, pepigerit ne à ſe viginti petantur, in decem debitori prodeſſe pacti conuenti, vel doli exceptionem placuit: ex eo fortè, quod in tali pacto, minor ſumma de decem inſit in viginti maiori. Idemq; & in alternatiue debitis dici poteſt, velut ſi quis ſtipulatus decem aut Stichum, de decem pactus debitor, & ſi Stichũ aut decem demũ creditor petat, exceptio pacti conuenti in totum obſtabit. Nam vt petitione, ſolutione, & acceptilatione vnius rei, tota obligatio ſoluitur, ita quoq; pacto conuento de vna re non petenda interpoſito, in alternatiuis, obligationẽ ſubmoueri placuit. Si verò inter contrahentes eſſet actum, ne decẽ, ſed Stichus creditori præſtaretur, eo caſu poſſe de Sticho efficaciter agi, nulla exceptione in contrariũ opponenda. Idem eſt, & ſi de Sticho non petẽdo conuenerit. Quod ſi generaliter homo debeatur, & pactum fiat ne petatur Stichus, Stichum quidem petenti, pacti exceptio opponetur, alius autem homo ſi petatur rectè agetur. [b] Sed demus pactum eſſe aliquem

a Pau. lib. 3. ad edictũ, in l. ſi vnus. §. ſi cum mihi. ff. eod.

b Idem ibidẽ. §. ſed ſi ſtipulatus.

quem, ne hæreditatē peteret, ſingulas res vt hæres petens, ex eo quod pactum erit, pacti conuenti exceptio aptanda erit. Quemadmodum ſi conuenerit ne fundus petatur, & vſumfructum demū exigat creditor. Aut ne nauis ædificium'ue petatur, & diſſolutis his, ſingulas res petat. Niſi ſpecialiter aliud actum eſt.[a] Et velut in petitionibus prædictis rerum dictum eſt, vt ſi vltra vel aliter quàm conuenit petatur, ad illa exceptio vt cōpetat aduerſus petitores tales, ſic & ex perſonis & factis alijs, intelligere conſentaneum eſt, vtpote, ſi per conuentionem actum eſt, ne à perſona tali videlicet Titio petatur, vbi contra conuentionem petitio fiat, hac exceptione pacti repelli poterit. Cuiuſmodi in exemplo hoc quod proponit Caius[b] in eo qui pecuniam à ſeruo ſtipulatus eſt, quam ſibi Titius debebat. Quærit enim ſi is ſtipulator à Titio demū petat, an exceptione pacti cōuenti, ſubmoueri & poſsit & debeat, propter id quia pactus videtur ſtipulando cum ſeruo ne à Titio petat? & reſpondet ex ſententia Iuliani, ita vel tunc ſubmouendum, ſi ſtipulatori in dominum ipſius ſerui, actio de peculio danda eſt, ex quo iuſtam cauſam intercedendi ſeruus habuit. quia fortè tantundem pecuniæ dominus ſerui, Titio debuit. Si verò quaſi fideiuſſor Titius interuenit, ex cauſa ne in peculium

a Ibidē.§.item ſi pactus.

b Lib.1.ad edictum prouin. in l. in perſona.§. qui pecuniā.ff.de pact.

actio daretur, tunc non esse inhibendum creditorem, quominus à Titio petat. Similiter & nullo modo prohiberi creditorem debere, si fideiubens Titius eum seruum liberum esse credidisset. Quærit insuper & si sub conditione stipulatus fuerim à te, quod mihi Titius pure debebat, an deficiente conditione si à Titio petam, exceptione pacti conuenti, & posim & debeam submoueri? & magis esse dicit, exceptionem non esse opponendam. quod sic intelligendum arbitror (cùm ita propositum postremum hoc, subobscurum aliquantulum videatur) velut in casus positione, vt stipulatori vel creditori illi si mauis, Titius purè debeat, Titio verò, tertius ille (à quo creditor Titij stipulatur) sit debitor sub conditione, & cùm Titius quod purè debet satisfacere non posit, creditor ab alio sub conditione stipulatur, defecta autem conditione, vtpote inutili vel inualida seu inefficaci, cum sibi propterea nō satisfiat, reddit ad Titium purum debitorem, qui ob defectum alterius, exceptionem opponere non debet, ne creditor interim legitimo suo debito frustetur. Nisi tamen etiam aliud actum esset. videlicet vt creditor liberato Titio, debitorem conditionalem maluisset, quia tunc Titius exceptionem conuentionis opponens, audiretur, prout ratio & æquitas ipsa dictant

ctant liberari ab obligatione illos, qui per conuentionem liberantur, & retineri etiam eos, qui velut in subsidiũ retinentur: velut & huic non dissimile est illi, quæ actionem legati vel fideicommissi, quam aduersus hæredes mariti quondam sui habuit, affectione hęredum aliquorum, alijs remisisse actionem prædictam probatur, vt si quidem debitores alij (quibus non remissa est actio) exceptionem pacti cõtra eam instituant, ad actiones nocere illi minimè posse Diocletianus & Maximianus.aa. Dominæ responderũt a ita vt in summa, ad conuentionis legem, conditiones, & qualitates, aptare omnia conueniat: sic vt non vltra, nec ab alijs, nec aliter quàm conuenit exigatur: exceptione alioqui sese valida opponente ad singula quo iuxta illius regulam finiantur & terminentur omnes intra suos limites, nec tamen ita intelligendum propterea, vt statim post conuentionem initam exceptio illi cui interest competat, sed vbi pro conuentionis modo & forma, facti occasio seu effectus eãdem proponi debere requirit: vnde & si quis cùm fundum meum possideret, conuenisset mihi secum, vt eius possessionem Titio traderet, si quidem vendico mox eum fundũ à possessore, non aliter me cõuentionis exceptione excludere debebit, quàm si aut iam ante tradidisset, aut si mea causa

a In l.si actionem legati.C de pact.

causa id inter nos conuenisset,& per me non staret,quominus iam traderet.[a] quibus quidē modis prædictis efficeretur pro conuentionis lege. vt possessore procurante adimplere quod conuenit,dominus prædij obstaculum & impedimentum faceret quominus cōuentis pareret:& his casibus exceptio possessori cōpeteret propter impedimenta prædicta. Si verò tradidisset Titio possessionem, iam amplius ab eo non vendicaret: quia paritū esset. vbi autem sua causa possessor distulisset tradere,tunc vendicationi citra exceptionem locus esset.& hæc de exceptionibus quæ inter paciscendum interueniunt seu interponi possunt alias,ac de pactis ipsis in genere (quandoquidem de pactis particularibus inter emptorem & venditorem, de pactis dotalibus & eiusmodi alibi agetur suo loco) sint satis. interim dum ad stipulationes huius tractationis affines, nostrum studiū & nostram speculationem conuertimus, quò sic suo ordine cuncta disposita, percipiantur & retineantur commodius, ea spe tamē, vt non minus intelligibiles has prodituras putemus, quàm hactenus à quoquam in publicum editæ fuerint, bene vale lector & nos ama.

[a] Procul.lib.5. epistola.in l.si quem fundum. eod.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Errata, quæ opere hoc abſoluto depræhendimus, ſic corrigito.

pagina 4	linea vlti.	lege legatione,
13	14	in verbo reſi lege rei.
27	24	lege exigatur,
33	4	lege tranſeunt.
39	4	pro adeo, lege ideo.
44	5	lege autem.
48	6	pro eas, lege eos.
51	6	pro de, lege & dominorũ.
64	1	lege quod ſi ſe referant.
67	23	pro alij'ue, lege aliæ'ue.

